MISCELLANEA MEDICA;

VIDELICET,

I. ORATIO HARVEIANA anno MDCCLV in Theatro COLL. REG. MED. LOND. habita, nunc ſecunda vice edita cum Notis admodum auctis.

II. EPISTOLA CRITICA ad ornatiſſimum Virum Dominum EDOARDUM WILMOT Baronettum MEDICUM REGIUM ORDINARIUM, in qua QUATUOR QUÆSTIONIBUS, ad VARIOLAS INSITIVAS ſpectantibus, Orbi medico denuo propoſitis ab ANTONIO DE HAEN, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSIL. AULICO, MED. PRACT. in alma et antiquiſſima UNIVERSITATI VINDOBONENSI PROFESSORE PRIMARIO, DIRECTE Reſponſum eſt.

III. SEX HISTORIÆ MEDICÆ, ſive Morborum aliquot rariorum et funeſtorum COMMENTARIUS.

Auctore ROBERTO TAYLOR
MEDICO REGIO ORDINARIO, COLL. REG. MED. LOND.
et REGIÆ SOCIETATIS SOCIO.



LONDINI,
Apud JOHANNEM NOURSE. MDCCLXI.

PRÆFATIO.

ORATIO *hæc mea* HARVEIANA, *Notæque ad calcem ejus adjectæ, quas nunc denuo editas* LECTORI BENEVOLO *in manus trado, etsi prima edendi vice, utpote amicorum precibus vehementer efflagitatæ, festinantius quam par erat in lucem prodiere, non tamen tot aut tantis scatebant mendis, quot aut quanta, ut eæ typis iterum mandarentur, ullo modo postularent. Cum vero Notæ quædam plures, nonnullis* ORATIONIS *partibus, sive ad* ARTIS, *sive ad* COLLEGII *Historiam pertinentibus, fusius explicandis accommodatæ, mihi opusculum hoc consideranti, deesse viderentur; ne singulari Doctorum, qua id accipere dignati sunt, gratiæ parum respondere existimarer,* ORATIONEM *totam recognoscere, singulosque ejus, (quotquot in* ARTIS *Historia minus versatis obscuriores forsan videri possent,) locos, adjectis pluribus* Notis, *illustrare statui. Has sane jamdiu concinnassem nisi plurimis et gravioribus distentus fuissem negotiis. Mora autem, quam huic secundæ* EDITIONI *injecerunt negotia mea quotidiana, occasionem mihi præbuit respondendi* QUATUOR QUÆSTIONIBUS *ad* VARIOLARUM INSITIONEM *spectantibus a* PROFESSORE *quodam* GERMANO *propositis, quam amittere nolui. Hisce* QUÆSTIONIBUS, DIRECTA, *quæ petit, Responsa, neminem adhuc dedisse queritur Vir doctus; qui etsi multa præclare in* ARTE *nostra tum scripsisse tum fecisse dicitur, ita tamen animum ejus præoccupavit Vulgi de hac re opinio, ut in ea tractanda prorsus mirum sit quantum ineptiverit! Neque illi hac occasione respondendo a proposito meo in* ORATIONE *denuo edenda me digressum esse existimabit* LECTOR *æquus; cum laudes, quas in* ORATIONE *mea* VARIOLARUM INSITIONI *jure dedi, a me postulare viderentur, ut quæ e* CATHEDRA *ei objicerentur, iis prima data occasione responderem.*

Huic

PRÆFATIO.

Huic volumini accedunt SEX HISTORIÆ MEDICÆ, *documenta quædam, nisi fallor, daturæ. Etsi enim Medicis in ore esse solet,* casum particularium *Historiam parum ad Artis incrementum conferre; hoc tamen, mea quidem sententia, nimis festinanter apud Nos pro Axiomate generali receptum fuit. Verissimum sane est ex singulis et diversis casibus methodum medendi generalem institui non posse. Multa vero commoda casus insoliti et mirandi præbere; multa, quæ prius ignoraveramus, nos docere possunt. Scopulos, in quos naufragium passi sunt alii, indicare; vanitatem notionum quarundam vulgo receptarum ostendere; et pericula, in quæ incurrunt ii, qui a quibusdam harum temere recedunt, demonstrare possunt. Si aliqua horum commodorum e casibus nostris Artis Professores haurire possunt, operæ prætium, eos in publicum proferendo, me fecisse existimabo; sin aliter de his forte senserit Lector æquus, veniam ejus me impetraturum esse confido, quod non tantum commodo ejus, quantum speraveram, inservire potuerim.*

ORATIO

ORATIO ANNIVERSARIA

IN

THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS

EX HARVEII INSTITUTO

FESTO DIVI LUCÆ.

HABITA

ANNO MDCCLV.

VIRO EXIMIO

THOMÆ REEVE, M. D.

PRÆSIDI DIGNISSIMO

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

HANC ORATIONEM

ILLORUM HORTATU EDITAM

EA QUA SEMPER COLENDI SUNT OBSERVANTIA

D. D. D.

ROBERTUS TAYLOR.



ORATIO HARVEIANA.



NNIVERSARIUM, Corona Spectatissima, Munus, quod Nobis hodierno Die, Medici divini memoriæ sacro, celeberrimus noster injunxit HARVEIUS, mihique hoc anno assignavit PRÆSES dignissimus, nequaquam detrectandum esse existimavi. Etsi enim Oratorium Ingenium, quod in me sentio quam sit exiguum, mihi deficit; etsi plurimi facundissimique Viri, qui ex hoc loco quotannis dixere, dicendi materiem exhau-

exhausisse jam videntur: veruntamen cum tempora varia et diversa nova Oratoribus argumenta suppeditare soleant; nova ad dicendum hortamenta ministrare possint; nonnulla quidem, nisi fallor, dicenda adhuc restant; nonnulla me, ut coram Vobis dicam, cohortantur atque suadent. Suadet summa, qua me dudum audivere *, COLLEGARUM Benignitas; suadet semper veneranda COLLEGII Auctoritas; suadent, denique, Rerum nostrarum, quibus incendor, Studium atque Amor.

Quot et Quales fuerint Nostri, quos sua in Artem Medicam merita, et immortalis Hodierni Instituti Auctor vetuere mori, nostrum est, SOCII DILECTISSIMI, hodie commemorare: atque hic sane dicendi Campus nobis patet adeo immensus, ut non tam ubi incipiat, quam ubi desinat, nesciat Oratio.

Ex His illustribus Viris Quis primum locum sibi vindicat? Quis, nisi qui primus Hoc instituit COLLEGIUM? illustrissimus LINACRUS; per totum Li-

* Sc. anno MDCCL, quo de PATHOLOGIA, ex Instituto cl. GULSTONI, in COLLEGII Theatro prælegebam.

terarum

terarum Orbem celeberrimus: Qui, in Academia OXONIENSI literis Latinis exquisite eruditus, Græcarum colendarum causa, in ITALIAM, uberibus Ingeniis tunc florentem, transmigravit; easque exinde (ubi TURCARUM Tyrannidem eodem sæculo fugientes exoptatum invenerant Asylum) in Patriam suam duxit et fovit: Qui in Doctrinis liberalibus, superstitionis Imperio jamdiu oppressis, restituendis, primas tulit: Qui omnibus, denique, ornatus Artibus, de Medica adeo in primis meruit, ut Caliginem, ei in hac Insula inductam, spississimam dispellere primus coeperit. Hisce tenebris BRITANNIÆ insidentibus subito effulsit LINACRUS; Artique Medicæ illuminandæ omnino intentus, multos GALENI Libros, (qui in isto ævo apud exteras gentes satis pro Dignitate sua jam tandem æstimari coeperant) tam polite et fideliter interpretatus est, ut ERASMO Judice, melius Latine quam Græce, interpretante LINACRO, GALENUS loqueretur †. Virum hunc egregium tanta apud Regem non indoctum gratia et auctoritate valuisse non profecto mirum est: Illum vero non in suum commodum; non ad nummos corradendos; non

† Vid. ERASMI Epistolas passim.

ad

ad honores ambiendos; ſed ad ſolam Reipublicæ felicitatem; ad Poſteritatis, etiam ſeriſſimæ, ſanitatem promovendam iis omnino uſum eſſe; Quiſnam eſt, AUDITORES SPECTATISSIMI, vel ex invidis laudum ejus obtrectatoribus, qui Viri magnanimitatem et virtutem non admiretur? Hunc autem non aliter feciſſe teſtetur Hoc noſtrum COLLEGIUM. Noſtrum dixi? immo potius Ipſius dicam; quippe quod Ipſo ſuadente fundatum; Ipſo juvante formatum; Ipſo, denique, præſidente gubernatum fuit. Sicut enim e paucis primigeniis coloribus, quorum cuique ſua eſt venuſtas, ſuus ſplendor, mirum in modum commixtis, LUCEM ipſam, humanæ vitæ conſolatorem, concinnavit ſummus Mundi Opifex; ita quidem LINACRUS noſter, e paucis illis, qui tunc temporis Virtute et Doctrina florebant, Medicis, Hoc inſigne ſuum MEDICINÆ Lumen, quod ad hunc uſque Diem perpetuo reſplenduit, componendum ſuaſit et curavit. Tales Nos habuiſſe Auctores, nobiſmet, SOCII ORNATISSIMI, gratulemur; atque quam uberes ſtirps hæc clara tulerit Fructus (quid enim a ſtirpe tam clara non expectandum eſſet?) jam videamus?

Celeber-

Celeberrimum LINACRUM haud longo poſt intervallo ſecutus eſt clariſſimus CAIUS; et paſſibus omnino æquis. Hic enim literis non levius imbutus; in rebus tum Phyſicis tum Medicis non minus verſatus; animoque non minus benevolo et generoſo ornatus; de Nobis, noſtraque Arte non minus egregie meruit. Quis noſtros Annales primus compoſuit? nonne CAIUS? Quis noſtra jura atque privilegia palam et in Curia primus defendit? Quis niſi CAIUS? Quis, denique, COLLEGII Inſignia, quæ in Comitiis, aliiſque noſtris Conventibus, coram PRÆSIDE digniſſimo ponuntur, et quæ nunc intuemur, excogitavit? Profecto CAIUS.

Moneant itaque Illa, Nos, SOCII ORNATISSIMI, moneant, NOBIS FUISSE CAIUM: Atque ea, quæ CAIUS Ipſe VIRTUTIS nuncupavit Inſignia, Nos, ad Virtutem aſſidue colendam, Reſque noſtras fortiter et conſtanter tuendas, quotieſcunque ea cernimus, accendant. Hortentur ea Nos ad Illas Leges defendendas, quarum Auctoritas nuper impugnata eſt; Illas Leges, quibus Majores noſtri Artis Medicæ Dignitati prudentiſſime providerunt. Intelligebant ſolertes harum Legum latores (utcunque

portentoſa habeatur ea nunc Opinio) nihil æque Medicum facere poſſe, atque animum a pueritia literis imbuere: Intelligebant, SAPIENTIÆ ſtudium, (a quo Medici quidam, HIPPOCRATIS, ut opinor, gloriæ æmuli, Diſciplinam Medicam iterum ſeparari volunt *) " quamvis non faciat Medicum, " tamen aptiorem Medicinæ reddere:" Intelligebant, (quod ſapientiſſimus olim monuit CICERO †) " omnes Artes, quæ ad humanitatem pertinent, " habere quoddam commune vinculum, et quaſi " cognatione quadam inter ſe contineri :" Intelligebant, denique, cogitandi et ratiocinandi Artes (quibus ſapientia conſtat vera, et ſine quibus delirant Artifices) non in medicis Hodiernorum Inſtitutionibus; non in decantatis Præceptorum quorumcunque Aphoriſmis; ſed inter antiquas ACADEMI ſylvas, perennibus Eruditionis Græcæ et Latinæ Fontibus ſcaturientes, quærendas eſſe. Sicut igitur LINACRUS celeberrimis ACADEMIIS noſtris inſigne favoris ſui, in PRÆLECTIONIBUS medicis ibi inſtituendis, teſtimonium dederat; ita CAIUS, gratam,

* Democriti autem, ut quidam tradiderunt, Diſcipulus HIPPOCRATES Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis, ab ſtudio SAPIENTIÆ Diſciplinam hanc (medicam) ſeparavit. CELSUS in Præfat.

† In Orat. pro Archia Poeta.

qua

qua Almam ſuam Matrem proſequebatur, memoriam, in COLLEGIO reſtaurando, teſtatus fuit: Atque quo evidentius Diſciplinam Medicam in COLLEGIO ſuo novo inſtituiſſe; Artiſque noſtræ ſtudioſos eo invitaſſe videretur; non modo INSIGNIA, Collegio ſuo propria, ARTEMQUE MEDICAM ſymbolice denotantia, ei gerenda detulit; ſed venerandum etiam ſuum Nomen, longe lateque per EUROPAM ſparſum, quod jam nunc agnoſcit, ei indidit. Et quam valde laudes noſtras! quam valde Poſterorum gratias jamdiu meruerit Hoc CAII Collegium, ex eo, AUDITORES SPECTATISSIMI, judicate, quod maxima Duo, non modo noſtri COLLEGII, ſed noſtræ etiam Nationis, immo noſtræ, dicam, Naturæ ornamenta, (quorum laudes mox celebraturi ſumus *) intra ſuos Parietes educaverit!

Vigente adhuc CAIO ab OXONIO jam proceſſerat alterum hujus COLLEGII Decus et Tutamen, doctiſſimus CALDWALLUS. Hic utiliſſimam LINACRI Societatem novis muneribus ornandam eſſe ratus, (nobili LUMLEIO in partem Operis adſcito,) PRÆLECTIONEM CHIRURGICAM in hoc COLLEGIO

* HARVEIUM et GLISSONUM.

 inſtituit.

inſtituit. Et quantum in Artium MEDICÆ et CHIRURGICÆ utilitatem, immo in gloriam, jamdiu ceſſerit Hoc laudabile Inſtitutum, nemo, SOCII ERUDITISSIMI, ignorare poteſt, niſi qui neſciat illuſtriſſimum Virum, qui Nos hodie convocavit, celeberrimum ſuum de SANGUINIS CIRCUITU Inventum in hac ipſa PRÆLECTIONE cum ſuis primo communicaſſe; immortalem ſcilicet HARVEIUM, ad cujus Famam ſingularem jam feſtinat Oratio.

Si enim Viros hos illuſtres, qui ante CIRCUITUM Sanguinis floruerant inventum, commemoratione annua dignos cenſuit HARVEIUS, quanto Ipſe, qui invenit, dignior eſt habendus qui commemoretur? Quantas illi debemus laudes, qui ingenio pene divino præditus; omni eruditionis genere (cujus intra CAII Ipſius Collegium fundamenta jecerat) inſtructus; laboriſque infiniti patiens, dies noctesque tamdiu Naturæ operibus invigilavit, donec filum, quo per reconditum Oeconomiæ Animalis Labyrinthum jam ducimur, penitus detexerat? Nemo enim certe nunc demum naris eſt adeo emunctæ, ut præclarum Hoc inventum in Antiquorum ſcriptis ſubolfaciat. Si quis eſt

tam

tam ſagax; ſiquis vocem unam atque alteram, in HIPPOCRATIS ſcriptis ſubinde occurrentem, nulla contextus ratione habita, omnique Artis Hiſtoria repugnante, ad ſenſum hujuſmodi ridiculum torquere volet; Hunc quidem eodem argumentandi genere probare poſſe confido, PULVEREM PYRIUM, PYXIDEMQUE NAUTICAM Veteres non latuiſſe. Apage tantas invidorum Nugas: Tædet harum ineptiarum Philologarum. Anquiramus potius ſintne Illi Recentiores magis audiendi, qui de Hoc nobiliſſimo Invento cum HARVEIO certavere? Non SERVETUS: non COLUMBUS: non Ipſe etiam CÆSALPINUS. Nam quid in hac Re fecerant Illi præter conjecturas? Quibus autem Factis vel Experimentis conjecturis ſuis conciliaverant fidem? Hoc equidem munus HARVEIO noſtro reſervatum fuit; atque Hoc præclare præſtitit. Quod Illi ſuſpicati erant, Ipſe vidit; Quod Illi male intellexerant, Ipſe explicavit; Quod Illi, denique, vix ſubmonuerant, Ipſe expoſuit, probavit, ſtabilivit. Quantum vero in Philoſophia excolenda; quantum in literis promovendis excelluit HARVEIUS; tanto quidem in noſtrum COLLEGIUM exarſit Studio. Tantam erga Nos indicavit caritatem, ut, quos Ipſe

non

non erubuerat amplecti Fratres, eos dignaretur constituere Hæredes.

Quid in Oeconomia animali explicanda valere posset Hoc inventum HARVEIANUM exemplar primum et egregium proposuit HARVEIUS Ipse: Qui, Vitæ principiis in Corde detectis, Animalium Generationem deinde animo complexus est; eamque totam Rem occultam in libro eleganti, Doctrinæ reconditissimæ pleno, fusius exposuit. Et quanta laude dignus sit, qui viam ad Oeconomiæ animalis scientiam primus monstravit, Vos, SOCII ERUDITISSIMI, potissimum scitis, qui, quantum in Oeconomia animali versati medendo valeant, quotidie experimini! Cur ulla hujus Utilitatis ab HARVEII Invento derivatæ exempla proferam? Vetant hoc angusti Orationis limites; vetatis Vos, quibus omnia hujusmodi satis innotescunt; et qui me ad alteram mei muneris Partem revocare jam videmini; ad aliorum laudes celebrandas: Quorum nonnullos, qui viam ab HARVEIO præmonstratam insistentes, PHYSIOLOGIAM novam condidere, nunc intueamur.

Inter

Inter hos eximios primum locum obtinet GULSTONUS; doctissimus OXONII Alumnus: Qui, quantum lucis a PHYSIOLOGIA nova (ex Sanguinis CIRCUITU nuperrime demonstrato mox oritura) accepturæ essent Morborum causæ jam ante animo prospiciens, PRÆLECTIONEM PATHOLOGICAM in Hoc COLLEGIO instituit; suoque sumptu ad hunc usque diem sustinuit. Nec Spem GULSTONI fefellit eventus: Quot enim Opera ab illius ætate PATHOLOGIAM in EUROPA illustrarunt, tot quidem lucem suam ab HARVEII Invento derivarunt: Quot in ANGLIA Scripta morborum Causas atque Signa explicarunt, tot fere intra hos Parietes, ipso jubente, lecta sunt.

Haud multo post in PHYSIOLOGIA et PATHOLOGIA explicandis excellebat Medicus, Rebus COLLEGII Anatomicis, et postea COLLEGIO ipsi, meritissimo præfectus, celeberrimus GLISSONUS; in ipso CAII Collegio educatus, et in CANTABRIGIA sua Professor olim Regius. Hic, primaria Organorum vitalium Functione ab HARVEIO explicata, duo alia organa, Functionibus naturalibus præcipue destinata, HARVEIO Duce, statuebat explicanda.

canda. Hic HEPATIS ſtructuram tam internam quam externam mira quidem ſolertia patefecit. Hic Vaginam PORTÆ, ſive Capſulam ejus communem, primus detexit, explicavit, nominavit. Neque minore Hic acumine minutiſſimas VENTRICULI et INTESTINORUM Fibras indagavit; Functionibuſque illorum viſcerum penitus inveſtigatis, modum parandi Chyli, ſicut antea ſecernendæ Bilis, pari eruditione atque elegantia demonſtravit. Hic, denique, eam Fibrarum animalium proprietatem, quæ facit ut eæ ſine ſenſu irritentur, primus notavit et nominavit: eam ipſam proprietatem, quam doctiſſimus HALLERUS, Phyſiologus horum temporum longe præſtantiſſimus, experimenta GLISSONI ulterius proſequendo, ſummo judicio plenius expoſuit; ſummaque modeſtia, Philoſopho omnino digna, Philoſophorum judicio nuper commendavit *: eam profecto proprietatem, quam in Fibris quibuſdam animalibus, quemadmodum in Materia univerſa Gravitatem, ineſſe docuit Vir ſolertiſſimus; qua proprietate patefacta, quamplurima in Animalibus tam vivis quam mortuis φαινομενα (nulla antecedentium Phyſiologorum ὑποθεσει explicata,

* Vid. Comment. REG. SOC. ſcientiar. GOTTING. Tom. II. p. 114.

aut

aut explicanda) perſpicue HALLERUS, GLISSONO monſtrante viam, nunc explicavit. Hucuſque, SOCII ORNATISSIMI, GLISSONUM noſtrum Doctrina ſolummodo et Scientia Medica excellentem vidimus: Hucuſque Illum HARVEII veſtigiis inſiſtentem, et PHYSIOLOGIAM, PATHOLOGIAMQUE ſtudioſiſſime perſequentem admirati ſumus. Nunc Viri magni Humanitatem atque Fortitudinem in Arte exercenda intueamur. Peſte enim hanc Urbem eo tempore depopulante, innumerabilibus, Reipublicæ cauſa, Periculis ſeſe objicere Vir fortis non timuit; mortemque ipſam pati maluiſſet, quam ſuis miſerrime circum circa decumbentibus opem non tuliſſe. O admirandam Hominis Virtutem! O incredibilem prorſus Humanitatem! O Fortitudinem ſupra humanam!

At, dum egregiam GLISSONI humanitatem celebrare ſtudeo, cavendum eſt, ne alterius COLLEGÆ noſtri (qui ejuſdem operis periculoſi ſe participem præſtabat) virtutes tacendo, memoriæ ejus injurioſus eſſe videar, doctiſſimi HODGESII; Viri heu! meliore ingenio quam fortuna memorabilis: Qui ab OXONIO, ubi literis inſtitutus erat, ad LON-

DINUM commeans, non modo quotidiana Peſtis pericula impavidus ſubiit, ſed accuratam ejus Hiſtoriam Orbi medico donavit; minime proculdubio contentus atrociſſimum Vitæ humanæ Hoſtem a Patria propulſaſſe, niſi Poſteris etiam ejuſdem profligandi (quantum humana fert facultas) rationem traderet. Quam male tanta Viri digniſſimi merita, remunerarint ſui pudet dicere! omnium maxime fateri pudet, illos ipſos, quorum Vitas ſervandi cauſa tot HODGESIUS periculis objectarat ſuam, illum gravi Paupertatis oneri, ſeneſcenti adhuc graviori, ſiviſſe ſuccumbere. Hanc, AUDITORES SPECTATISSIMI, gratiam, quam ipſi vivo recuſabant ſui, mihi liceat referre Ipſius Memoriæ,

His ſaltem accumulem Donis &c.

Quis autem miſeram hujus Urbis ſortem mecum non lugebit, quam vix a ſæviſſima Peſte liberatam circum undique involverunt Flammæ; quæ Nos et noſtra penitus deleviſſent, niſi nobis munificus ſubveniſſet HAMEIUS? Poſtquam enim incendium iſtud nefandum, quod omnia tam ſacra quam profana late vaſtabat, COLLEGIUM noſtrum in fumum cineremque verterat, tantum ſua auctoritate, ſuaque

que munificentia efficiebat HAMEIUS, ut pulchrius e flammis refurgeret. Neque in COLLEGIO reædificando boni COLLEGÆ officio Te fatis effe functum arbitrabare Vir eximie, nifi Rei quoque COLLEGII fuftentandæ pro facultatibus conferres tuis. Eandem igitur liberalitatem, quam toties in hanc Societatem exercueras vivens, teftamento etiam tuo indicafti mortuus. Sicut igitur Majores noftri TABULAM MARMOREAM in Bibliotheca HARVEIANA collocandam Tibi decrevere vivo; ita Nos mentis tuæ benevolentiffimæ imaginem, Cordibus infcriptam noftris, in æternum confervemus.

Vix dum COLLEGIUM reftituerat HAMEIUS quum de fplendore ejus augendo cœperunt cogitare illuftriffimi COLLEGÆ. Nunc enim fundamento ab HARVEIO jacto fuperftructuri una omnes concurrebant. Ab OXONIO fuo, ubi jamdiu inclaruerat, in COLLEGIUM nuper cooptatum en! WILLISIUM. Hic veterum PHYSIOLOGIAM a COLLEGIS fuis paulo ante labefactatam, nunc funditus evertendam effe exiftimabat; novæque ædificandæ egregiam navabat operam. Hic, fanguinis motu ab HARVEIO detecto, liquorem fubtilioris indolis

nunc exquirebat; liquorem a CEREBRO oriundum: cujus Organi fabricam mire tortuofam, et functiones abftrufiores plane expedivit; NERVORUMQUE originem, ftructuram, et officium feliciffime inveftigavit. Hinc SOCII ERUDITISSIMI, novi ex Invento HARVEIANO Fructus: Quantum enim profecerat HARVEIUS Ipfe in Functionibus vitalibus; quantum GLISSONUS in naturalibus; tantum quidem in animalibus explicandis profecit WILLISIUS.

Detrimentum, quod Arti medicæ attulerat mors WILLISII immatura, quodammodo compenfavit Superftes WILLISII Amicus et Defenfor, LOWERUS; digniffimus etiam OXONII Alumnus. Quomodo in Chylum tranfmutetur Cibus non ita pridem docuerat GLISSONUS: Ulterius nunc progrediebatur LOWERUS. Nunc Chyli in Sanguinem mutationem explicabat: nunc quibus caufis fanguis Arteriofus fuum debeat ruborem; quibus viribus moveatur Cor, in Tractatu pereleganti (quo Nobis honorem, fibique confecutus fuit immortalitatem) perfpicue exponebat. Quoûfque tandem penetrare aufum eft acutiffimum LOWERI Ingenium? In abditiffimos quidem Naturæ Receffus.

Sangui-

Sanguinem enim Animalium, in magnos Medicinæ ufus, ex alia in aliam Specie transfundi potuiffe arbitratus, plurima in eum finem experimenta excogitavit: Eventu fane (quod dolendum eft) Viri ornatiffimi Votis et Ingenio prorfus impari. Fateantur autem Invidi magnis LOWERUM excidiffe aufis: Neque id diffiteantur Increduli; qui Illum propterea excidiffe putant, quia non mortale fuit quod optavit Vir ingeniofus.

Nondum vero fatis erat explicata Oeconomia Animalis. Glandularum enim (Partis profecto non minimæ Dignitatis) textura, numerus, fitus, atque ufus adhuc reftiterant exponenda. Huic utili demum Operi fe accinxit WHARTONUS; literis CANTABRIGIÆ inftitutus: Idque tam accurate perfecit, ut omnes totius Corporis Glandulas indicaverit, enumeraverit, defcripferit. Hic eas a fervilibus, quæ iis impofuerant Antiqui, minifteriis, liberavit. Hic Ductum falivalem in Os patentem primus detexit. At non modo eas, quas Natura in corporibus fanis creare folet, explicavit; fed eas etiam, quæ præter Naturam in morbis fæpe generantur, primus notavit et enucleavit. Tantum

valet

valet in morbis Partium detegendis PHYSIOLOGIA vera atque exquiſita!

Si omnes, AUDITORES SPECTATISSIMI, hujus COLLEGII Socios, qui, in Oeconomia Animali illuſtranda, de nobis optime meruere, ſatis pro meritis laudare conarer, Tempus profecto me citius quam Oratio deficeret. Quis autem ſilentio præterire poteſt celebrem HARVEII Defenſorem, doctiſſimum ENTIUM? Quis clariſſimi SCARBURGII? Quis CHARLETONI? Quis CROUNII? Quis denique NEEDHAMI immemor eſſe poteſt, dum excolitur ANATOMIA; dum moventur MUSCULI; dum FOETUS geruntur UTERO?

COLLEGIO Hoc noſtro Viris tot illuſtribus nobilitato, non mirum eſt, AUDITORES SPECTATISSIMI, ſi illius Societatem NOBILITAS ipſa olim ambiverit. Minime profecto mirum eſt, ſi illuſtriſſimum DORNAVIÆ MARCHIONEM, Artibus pleriſque eruditum (ſicut antea nobiliſſimum LUMLEIUM) tantus etiam noſtræ ceperit Amor, ut in COLLEGIUM noſtrum aſcribi voluerit; nobiſque munificentiam ſuam ampliſſimis Donis teſtatus fuerit.

Quot

Quot et Quales in PHYSIOLOGIA nova condenda, PATHOLOGIAQUE amplificanda, poſt CIRCUITUM Sanguinis inventum, excelluerint COLLEGÆ, jam vidiſtis? Nunc ad eos, qui in THERAPEUTICA, tertia, et conſummata quidem, MEDICINÆ Parte, claruerint promovenda, tranſeamus.

Horum primus occurrit Medicus, cujus memoriam (verbo abſit Invidia) non ſatis coluiſſe nos videmur, RICARDUS MORTONUS; Vir nequaquam prætereundus: Qui, etſi Theoria nimis generali deceptus, MALIGNITATEM ubique odoratus fuit, atque in Spiritibus ſuſtentandis nimis ſæpe occupatus, a vero medendi ſcopo aliquando aberravit; in quibuſdam tamen Febribus continuis (quarum cum Intermittentibus Neceſſitudinem primus Noſtratium perſpexit Ipſe) SPECIFICUM nunquam ſatis laudandum primus Noſtratium feliciter adhibuit. Ille enim CORTICEM PERUVIANUM, quo nunc tam graves expugnamus morbos, Medicis tunc falſo damnatum, Regnoque pulſum, examinavit, abſolvit, reduxit. Ille novum Mundum, Hoc Cortice in EUROPAM tranſmiſſo, novum Morbum, quem exeunte ſæculo penultimo in eam tranſmiſerat,

rat, non leviter compenſaſſe primus indicavit. Hunc, cujus in Artem Medicam merita Theoriæ illius vel inimiciſſimi non fateri nequeunt, Nos, quorum eſt omnia ſua cuique tribuere, æquiſſimis laudibus celebremus.

Et quodnam, quæſo, amplius æquitatis noſtræ argumentum exhibere poſſumus, quam in Medico, a MORTONI Theoria valde abhorrente, laudibus cumulando debitis? Medico, quem, etſi, modeſto, quo erat, animo, ad ſummum hujus COLLEGII Ordinem viam non affectavit, digniſſimum tamen qui in eum cooptatus eſſet, omnes uno ore jam profitentur. Quis me, SOCII DILECTISSIMI, SYDENHAMUM noſtrum indicare velle neſcit? (Noſtrum enim Nos ACADEMICI eum optimo jure appellabimus, quem Doctrinis ſuis ACADEMIARUM NOSTRARUM erudiverat Hæc, et Doctoratu ornaverat Illa :) Virum profecto, cui, in Arte noſtra exercenda, tanta inerat naturalis Ingenii Dexteritas, ut ad medendum natus videretur: Virum, de quo verius affirmari poteſt quod de GALENO aſſerit SCALIGER "Illum non ex aliis potius didiciſſe "(id quod facile factu ſic ſatis ſit) quam ex SEIPSO

"(quod

" (quod effet valde arduum) aliis Medicinæ fcien-
" tiam conftituiffe*:" Virum, qui, ὑποθεσεων, in quibus formandis nimium feftinaverat Neotericorum Vanitas, omnino pertæfus, ab opinandi et garriendi ineptiis ad Antiquorum in obfervando Diligentiam; a verbofa Doctrinæ oftentatione ad veram medendi Artem Nos revocavit. Quis in Morbis diftinguendis tam acutus? Quis in defcribendis tam fidelis? Quis, denique, in fanandis tam felix fuit? Ille febricitantes e Flammis tam medicamentorum quam Morbi primus eripuit. Ille OPIO VARIOLARUM furorem primus compefcuit; primufque illud Divinæ Mifericordiæ Donum plena manu miferis difpenfavit. Ille, denique, VERULAMII nobiliffimi Præceptum non minus Medici quam Philofophi intereffe ratus, non finxit, non excogitavit, fed incredibili prorfus fedulitate invenit quid Natura faceret aut ferret. Nec " is tantum fuit SYDENHAMUS," (ut LIVII de CATONE loquentis verbis utar)
" cujus FAMA VIVO eo viguerit, monumentumque
" ejus SCIENTIÆ nullum extet; vivit immo vigetque
" SCIENTIA ejus fcriptis facrata medicis, non nifi

* Vid. J. CÆS. SCALIG. in Præfat. Lib. de CAUSIS LINGUÆ LATINÆ.

"cum Mundo ipſo perituris†." Hinc Viri magni Nomen et Auctoritas apud exteros! Hinc SYDENHAMI Amor et Veneratio apud Suos!

Hunc, cujus veſtigia preſſit, diligenter obſervaſſe videtur celeberrimus RADCLIVIUS; Vir (ſiquis unquam fuit) non tam literis ad Rei Medicæ ſcientiam, quam Ingenio et Experientia eruditus: Qui SYDENHAMO annis et honore pleno, ex Academia OXONIENSI ad Urbem veniens, in eas medendi rationes, quibus tantum honorem conſecutus erat venerandus Senex, non inquirere non poterat. Et profecto vix fieri potuit, ut qui ingenii acumine, miraque in morbis dignoſcendis perſpicacia ad SYDENHAMUM propius acceſſerat, is in iiſdem curandis ab illius conſilio et præceptis diſcederet. Hic, itaque inſtar alterius SYDENHAMI Naturæ laboranti ſemper intentus, illam aberrantem revocavit, illam ſuccumbentem ſublevavit, illi denique, triumphanti non repugnavit. Hiſce fretus principiis Formularum farraginem atque pompam ſprevit; ægrotoſque a morbi et remediorum onere eodem ictu ſæpe liberavit. Exempla hujuſmodi rara, quæ Artibus non niſi leviter imbuta in Pene-

† Vid. LIV. Lib. XXXIX. Sect. XL.

tralia

tralia ſua indulgens dicitur admiſiſſe Natura, nemo imitari audeat ΑΜΥΗΤΟΣ: minime omnium audento Iſti, quos NATURAM docuiſſe credunt ΟΙ ΠΟΛΛΟΙ, nulla alia de cauſa, quam quod ARTIUM Diſciplinis non fuerint eruditi.

Sed etiamſi Artium ſtudia ex ACADEMIARUM NOSTRARUM Fontibus parce hauſerit RADCLIVIUS Ipſe, (ſi modo ea parce hauſerit) ea tamen ex illis omnino haurienda eſſe Virum inſignem exiſtimaſſe palam declarant Stipendia ſua ITINERARIA; quibus neminem præter Academiæ ſuæ ARTIUM MAGISTROS donari voluit: Indicio quidem ſatis manifeſto, non Artium foris diſcendarum; non Tyronum in Academiis exteris alendorum gratia; non, denique, ut ea merentes, (quorundam inſtar Medicorum peregrinantium) quo nihil attulerint Sapientiæ, exinde parum reportent Medicinæ, ea ipſum inſtituiſſe; ſed ut Sapientiam, Domi acquiſitam, extra Patriam ſuam deportando, MEDICINAM cumulatiorem ad ſuos reducant.

Defuncto jam laboribus RADCLIVIO ſucceſſit Sodalium ipſius primus dilectiſſimus MEADUS:

Quanta ſcientia Vir! quanta gravitate! quanta dignitate! Qui tantum RADCLIVIUM Doctrina, quantum RADCLIVIUS alios ſagacitate ſuperavit. Hic, tam ingenio quam literis inſtructus, morbos pleroſque facile fugavit; de uno autem reportavit victoriam Ipſe primus; de uno, qui, etſi propter ingenium ſuum, plerumque mitiſſimum, diminutivo quodam nomine appellari ſolet,* tamen aliquando ſtragem meditatur horribilem. Hunc Peripneumonico eſſe genere primus intellexit MEADUS: atque, viribus ejus penitus perſpectis, de eo adeo ample triumphavit, ut nemo Medicorum ſub vexillo ejus militans huic Morbo unquam ceſſerit. Neque minus in hoc prorſus devincendo, quam in altero atrociſſimo ſublevando, valuit MEADUS. Modum enim Chirurgicum, quo Aqua ex Hydropicorum Abdominibus tota una vice tuto exhauriri poſſet primus docuit MEADUS! maximo ſane Hydropicorum emolumento; qui ante hunc modum inventum plus tædii aut plus periculi in Aqua patiebantur exhaurienda quam doloris in retinenda. Propter hæc illius præclara facinora quantas ei Nos Medici debemus gratias? quanto majores ei Gens humana, quorum illius ſtudio atque opera

* MORBILLI.

tot

tot ab Orci faucibus eripiuntur? Qui vero in Arte ſua eminuit primus in nulla alia poſtremus eſſe voluit. Artes itaque liberales, quantum plerique ſingulas, tantum MEADUS coluit omnes; quarum amore incenſus, pretioſiſſimam Nummorum antiquorum, Picturarum, Sculpturarum, et Librorum ſupellectilem undique conquiſivit; quorum nonnullos aliquando elegantiores, quos animo Ipſe Regio dare ſolebat, ab eo Reges ipſi accipere non dedignati ſunt †. Quis igitur mirari debet ſi MEADI Doctrina et Munificentia ita in regionibus exteris refulſerint, ut earum Splendor in Patriam ejus repercuſſus fuerit. Sed doctum eſſe pro nihilo duxit Vir beneficentiſſimus, niſi Doctorum etiam ſuſciperet Patrocinium; quod ſane officium adeo egregie præſtitit, ut literarum Fautor tam aſſiduus, tam urbanus, tam munificus nemo privatus certe antea extiterit. Neque profecto fieri potuit, ut qui omnes alias foverat Artes, is patrocinari noluerit ſuæ. Quanto igitur candore? quanta Benevolentia erga ejuſdem Artis Profeſſores ſe geſſerit? quanta comitate Tyrones ſemper exceperit? quanto ſtudio Rem eorum auxerit? quanta auctoritate nomen

† Vid. Authentic Memoirs of the Life of RICHARD MEAD, M. D. pag. 55.

eorum

eorum protexerit? Omnes equidem sui temporis Medicos animo vere fraterno amplexus est MEADUS: Juniores autem tot et tantis perinde beneficiis quotidie devinxit, ac si ad idem Famæ fastigium, quod attigerat Ipse, illos evehere totis viribus contenderet. Testemur hæc, quotquot hic adsimus, qui Viri dignissimi Benevolentiam toties experti sumus: Credant illa Posteri, qui tot eruditorum Opera Viro privato inscripta invenient.

Splendente adhuc MEADO emicabat alterum, ab OXONIO ortum, hujus COLLEGII Lumen: Medicus quidem tam amicitia quam Arte MEADO conjunctus; celeberrimus FREINDUS: Qui eo fuit præditus Ingenio ut Artem difficillimam facillime didicerit; ea instructus Doctrina ut eam semper ornaverit; ea ornatus Auctoritate ut eam diu sustentaverit: Qui in Academia nonnullas Artis suæ Partes præclarissime docuit; Qui in Urbe Artem ipsam sagacissime exercuit; Qui in Senatu eam, Senator ipse, eloquentissime defendit: Qui in Medicina, denique, excolenda ita peritus et felix ut in nullis, præter severiores Medicinæ Disciplinas, educatus esse; in Medicinæ Scientia communicanda

canda ita elegans et disertus fuit, ut in Disciplinis elegantioribus totus fuisse videatur. Et profecto quo doctior fuit Vir clarus, eo acrior fuit indoctorum Hostis; quo liberalius institutus erat Ipse eo vehementius illiberales insectatus est. At si tantam Viro docto movebant Indignationem perpauci sui temporis Nugivenduli, quanto ferventiore excanduisset ira, si audacissimos, quibus scatet hoc ævum, EMPIRICOS, Arcana sua, nunc nugatoria, nunc perniciosa, deliranti omnium Ordinum Vulgo venditantes * animadvertisse ei contigisset. Omnibus literatis flebilis FREINDUS; nulli vero flebilior quam Nobis occidit. Nemo enim certe nostrum, SOCII ERUDITISSIMI, polita Viri doctissimi in HIPPOCRATEM commentaria potest evolvere, quin mortem ejus præmaturam (qui satis quidem gloriæ, Arti vero suæ nondum satis vixerat) sincera voce lamentetur. Etenim ab eo, qui in Arte tamdiu felicissime versatus erat, plura quidem erant expectanda, quæ Artis imperium in Morbos latius extendissent, si Vitæ ejus pepercisset Fatum.

Alumnum alterum, eumque dulcissimum, paulo

* Sic est VULGUS: ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. CICER. Orat. pro Q. ROSCIO.

ante

ante FREINDI obitum in COLLEGIUM noſtrum miſerat OXONIUM: Medicum, dum vixit, Medicis carum; dum medicinam exercuit, ægrotis cariſſimum. BROXHOLMIO enim Ingenii benigna Vena cum tanta morum ſuavitate fuit conjuncta, ut jure dubitari poſſit utrum Ingenio præſtantior an urbanitate fuerit amabilior? Humanitatis ſtudiis ab ineunte ætate imbutus; ſummorum familiaritate virorum quotidie uſus; moribuſque variarum Nationum penitus perſpectis, omnium, poſt hominum memoriam, Medicorum politiſſimus evaſerat. Ex iis, qui RADCLIVII ſtipendia meruere, primus, omnibus poſterioribus, et Stipendio ipſi fuit Ornamento. In BROXHOLMII quidem inerat conſuetudine tam curioſa felicitas, ut plus gratiæ apud omnes ſua Veritas, quam aliorum Obſequium inveniret. Etſi vero ab iſto ſervili, Medicoque prorſus indigno, quo nonnulli gratiam turpiſſime colligunt, abhorruit Obſequio, tamen in illa honeſta atque liberali ejus ſpecie, quæ nunquam deeſt ingenuo, admirabile eſt quantum cæteris excelluerit? qua ſane ægrotorum animos leniter mulcendo corporibus eorum facilius medebatur. Sed quemadmodum in corporibus nonnullis formoſiſſimis

mis inſigniores inſunt maculæ atque nævi; ita BROXHOLMIO ipſi ſua erat infirmitas. Periclitantibus ſuis amicis (et quot curavit ægrotos tot quidem habuit amicos) tanto plerumque dolore obruebatur, ut, qui mederi anxius optabat, propter id ipſum medendo non ſufficeret: ita de ſervando ægroto ſupra modum erat ſollicitus, ut morbum propterea oppugnaret impotentius: ita, denique, Amici muneri implendo erat intentus ut nonnunquam officio deeſſet Medici. His agitatus mœroribus a morbis refugit curandis ut morborum ipſe fieret Præda rapacium. O miſeram Mortalitatis conditionem! quam BROXHOLMII ipſius nec Ingenium nec Fortuna reddere potuerint tolerabilem.

Dum SOCIOS hoſce commemorabam celeberrimos, triſtis eheu! venit nuntius, digniſſimi alterius mortem referens; alterius noſtri valde lugendi; qui a valetudine aliorum curanda jam diu avocatus erat ad tuendam ſuam; clariſſimi LEII: Medici, in eadem, qua FREINDUS, qua RADCLIVIUS, Academia educati; eodem ingenio præditi; iiſdem honoribus digni. Qui in medendo acutus et

eruditus; in loquendo apertus et facundus; in agendo probus et fincerus: Qui modeftis facilis et comis; arrogantibus acer et intrepidus; pauperibus mifericors et liberalis; divitibus juftus neque avidus fuit. Adulationis Ipfe impatiens adulatus eft nemini; Plebeculæ fermunculos contempfit; Optimatum blanditias neglexit: Quod, denique, de PISONE oratore fcribit CICERO, id quidem LEEI noftri mores et valetudinem mirifice depingit. "Is "(inquit CICERO,) laborem forenfem quafi curfum "diutius non tulit, quod corpore erat infirmo, et "Hominum ineptias ac ftultitias, quæ devorandæ "Nobis funt, non ferebat, iracundiufque refpu"ebat, non morofe, ut putabatur, fed ingenuo "prorfus liberoque faftidio*." Virum hunc egregium lugeant noftræ, quas dilexit, ACADEMIÆ; lugeat noftrum, quod ornavit, COLLEGIUM; lugeat, denique, ARS ipfa MEDICA, cujus dignitatem tueri femper ftuduit.

Illuftrem hunc OXONIENSEM quis dignior qui fequatur quam celeberrimus ejufdem temporis CANTABRIGIENSIS, digniffimufque hujus COLLE-

* Vid. CICERON. De Claris Orator. S. LXVII.

GII

GII PRÆSES, PELLETUS? Vir multis nominibus celebrandus; atque hoc uno (si nullum subesset aliud) minime hic tacendus, quod annuam hanc dicendi occasionem aliquandiu intermissam Ipse restituerit: Cujus laudabili proposito non modo consummatam Ipsius, sed posterorum quoque Oratorum omnium debemus Eloquentiam. Singularis omnino fuit et eximia PELLETI Indoles. Artibus et ingenio ad medicinam excolendam quo fuit instructior, eo studiosius ejus exercendæ grave onus detrectavit: Quanto magis meritorum suorum fuit conscius, tanto ægrius iniquam Artis suæ toleravit sortem: Qui egregiis animi dotibus plerosque homines superavit, eum profecto coram Mulierculamum tribunali, ad quod quotidie citantur Medici, causam dicere piguit maxime: Qui injuriarum, suspicionum, inimicitiarum, infamiæ, immo et famæ omnino immeritæ non valde fuit patiens, is Artem istiusmodi, in qua exercenda hæc omnia insunt mala, non aversari non potuit: Qui otii literati, et quotidianæ literatorum consuetudinis, fuit amantissimus, is ab iis ad diurnos nocturnosque Artis acerbissimæ labores se divelli ægre passus est: Qui, denique, lucri gratia facere nihil, is certe huma-

nitatis et amicitiæ potuit omnia. O præclariſſimum Hominis Ingenium! qui ita ſentire nunquam deſtiterit! O invidendam Medici fortunam, quæ ita agere ei permiſerit.

PELLETI in locum ſuffectus eſt PRÆSES alter digniſſimus, doctiſſimus ejuſdem Academiæ Alumnus; de quo adhuc Juvene tantam ſpem conceperat CANTABRIGIA ſua, ut eum, etſi juniorem quam cui Doctoratum ſponte dare ſolet, non tamen ſine Doctoratu, inter eximios aliarum Facultatum Doctores, Academiam VIADRINAM ſalutandi cauſa, miſerit in GERMANIAM: Cui tantæ ſpei poſtea reſpondens inter celeberrimos hujus COLLEGII Socios diu honoratus fuit; PRÆSIDISQUE officio præclariſſime geſto maximum ſui apud Nos deſiderium reliquit. Liceat, SOCII ORNATISSIMI, PLUMPTREII noſtri laudes oratione paulo fervidiore percurrere; liceat Veritati, eas Virtutes, quas Ipſe obſervavi, celebrare; liceat, denique, Amicitiæ Eloquentiæ vice fungi. Recordamini, quæſo, Viri docti in noſtrum COLLEGIUM merita; recordamini quanto Rerum noſtrarum flagraverit ſtudio? quantum laboris PHARMACOPOEIÆ noſtræ caſtigandæ, poli-

endæ,

endæ, edendæ impenderit? Videor mihi videre facundiſſimum Virum in Colloquiis ſolitis Sapientiæ ſuæ gravitatem comitate et facetiis temperantem: Videor mihi audire Illum ſale et lepore, quibus polluit maximis, EMPIRICOS inſectantem: Videor mihi intueri Virum fortiſſimum Eloquentia ſua locupletiſſima jura noſtra defendentem. Sed nequid veri, Amicitiæ ſtudio incenſus, diſſimulare videar, non reticendum, immo coram Vobis, SOCII ERUDITISSIMI, vehementer eſt dolendum, PLUMPTREIUM noſtrum non tam de ſua quam de COLLEGII gloria fuiſſe ſollicitum. Nam ſi Famæ conſuluiſſet ſuæ, aureoli ejus de Febribus libelli, (de quibus verecundius quam decuit judicavit Ipſe) jamdiu in lucem prodiviſſent, æterna ejus Nominis Ornamenta.

Celeberrimis His in Arte noſtra exercitatis merito annumerandi ſunt Duo alteri ACADEMICI, in medendo exercitatiſſimi; HALESIUS et CROVIUS; Ille OXONII, Hic CANTABRIGIÆ, doctiſſimus Alumnus: Quorum eximiæ erga noſtram Societatem munificentiæ Quis noſtrum obliviſci poterit? Quorum memoriam Nobis ſemper colendam eſſe Quis non

non existimabit, qui BIBLIOTHECAM nostram unquam viserit? ILLIUS; quod, cum eo tempore vixerit, quo Medicos solebat ægris commendare Eruditio, Librorum copiam (unde Eruditio est petenda) Nobis suppeditare voluerit: HUJUS, quod in Libris suis Nobis legandis contra invalescentem suo tempore opinionem declaraverit Literas Medentibus non esse inutiles.

PRÆSIDES vero, SOCII DILECTISSIMI, unus atque alter commemorandi adhuc restant: Quorum unus, Cathedram, e qua morte heu! nimis immatura non ita pridem raptus est, si votis nostris annuisset cœlum, egregie ornavisset; illustrissimus videlicet JURINUS: Qui, literis CANTABRIGIÆ institutus, reconditissimis Matheseos Doctrinis eo usque initiatus est, ut inter eruditissimos ejus Cultores domi forisque merito habitus fuerit. Huic Viro doctissimo stabilitum debemus Inventum, humano generi valde propitium, VARIOLARUM INSITIONEM; qua tot millia Mortalium a Fato impendente liberantur. Hic præjudicatas de hac Re convulsit hominum Opiniones: Hic utriusque Morbi, naturalis et insititii, successus varios ad Calculos vocavit:

vocavit: Hic inſititium longe tutiſſimum eſſe adeo luculenter demonſtravit, ut nemo eſſet tam ſuperſtitioſus, tam iniquus Rerum æſtimator, quin illius Cauſæ, quam ſequi non auderet, veritatem tacitus agnoſceret. Hoc Duce Matrum vicimus timiditatem: Hoc Duce Filiarum ſervavimus pulchritudinem: Hoc duce truculentiſſimum non modo Vitæ ſed Formæ etiam humanæ Hoſtem ſuperavimus. Hujus igitur nomen pulchrior ſexus ſemper colat et tueatur; tamdiu tueatur uterque, quamdiu Matribus cordi erit Filiarum pulchritudo; quamdiu Pulchritudo ipſa erit amabilis; quamdiu, denique, ſecura et tranquilla Vita, teterrimo Mortis generi, vel, (quod pejus eſt) perpetuo Mortis timori, erit anteponenda.

A Doctiſſimo JURINO ad alterum PRÆSIDEM digniſſimum, qui tum Noſtræ tum REGIÆ SOCIETATI multos annos præfuit, nunc tranſeamus; ad clariſſimum SLOANIUM, quem jam poſtremum celebraturi ſumus: Medicum, quem, etſi floruit apud ſæculum prius, nuperrime tamen e COLLEGIO ereptum flemus: Medicum, tanta æquanimitate inſignem (qua nihil in Medicina facienda magis neceſſarium,

ceſſarium, nihil ad longam Medici vitam magis confert) quanta infirmiorem, per aſſiduos medendi labores, ad longiſſimam Senectutem ſuſtentavit valetudinem. Et Senectutis profecto tranquillitatem eo magis optandam reddiderant ei longus labor et ſtudium, quæ eam a multis retro annis præceſſerant, quod BIBLIOTHECAM et REPOSITORIUM (non dicam Regia, ſed Regiis omnibus præſtantiora) quibuſcum Senex quotidie delectaretur, ei comparaſſent. Neque minorem in Theſauris hiſce teſtamento legandis erga Patriam, quam erga Familiam ſuam manifeſtavit caritatem. Cum enim pretioſiores eſſent quam qui ſine injuria privata dari, et ſine publica, pretio ſuo, emi poſſent, eos quidem Patriæ ſuæ, conditionibus neque Familiæ neque Nationi ſuæ injurioſis, legavit: æquum, ut opinor, ratus, doctam illam gentem, quæ facultates ad eos congerendos ei miniſtraverat, famam ac utilitatem ab iis expectandas, in omne ævum poſſidere. O Senem omnino beatum! Qui ſenectutem otioſam atque placidam; vitam longam et felicem; mortem, denique, ſubitam nec improviſam nactus es.

Celebra-

Celebravimus jam, SOCII DILECTISSIMI, ornatiſſimorum fere ſingulorum, qui e vita exceſſere, Noſtrorum Memoriam; quorum tantum non omnes in gremiis foverunt ſuis ACADEMIÆ NOSTRÆ: Illæ ipſæ Academiæ, quibus, tanquam locis ad formandos Medicos minime aptis, aliquando inſultare audent alieni Quidam atque invidi. Quam verecunda Fronte! Vos, AUDITORES SPECTATISSIMI, judicetis; qui, tam longam Medicorum conſummatorum ſeriem, ex illis Academiis, ubi ſtudiis imbuti erant optimis, in Hoc COLLEGIUM cooptatam, jam vidiſtis. Hiſce omnibus fato functis tandem commemoratis, ad ea, quæ Vobis ipſis, SOCII ORNATISSIMI, præclare geſta ſunt, nunc vellet Oratio deſcendere, niſi vetaret verecundia; niſi prohiberet, quæ Vobis debetur maxima, Reverentia. Veſtras itaque Virtutes Oratoribus futuris laudandas; veſtram Famam Poſteris celebrandam relinquenti nihil mihi dicendum reſtat, præter quam omnia fauſta huic noſtræ Societati precandum; et Nos, COLLEGÆ mei digniſſimi, hortandum, ut, omnibus ſimultatibus, partiumque ſtudiis ſepoſitis, Artem noſtram excolamus: ut FIDEM,

quam Nos COLLEGIO dedimus, non modo ex ore, ſed ex animo quoque (ſicut decet honeſtos) datam fuiſſe demonſtremus; ut, denique, Concordia intra hæc mœnia reſtituta, COLLEGII inimicis, qui Nos nimium diviſerunt, Nobis imperandi ſpem præcidamus.



N O T Æ

AD ARGUMENTA

ORATIONIS HARVEIANÆ

Illuſtranda et confirmanda appoſitæ.

P. 7. MULTOS GALENI LIBROS TAM POLITE ET FIDELITER INTERPRETATUS EST.] GALENI περὶ τῶν ὑγιεινῶν libros ſex, hortantibus doctiſſimis ſuis amicis ERASMO et BUDÆO latine reddidit; Regique HENRICO VIII°, Epiſtola LONDINI XVI CALEND. QUINTILES data, dicavit *. Hæc LINACRI prima GALENI verſio CANTABRIGIÆ anno 1517 typis excuſa eſt; deinde PARISIIS, anno 1530 in 12°, denique LUGDUNI eadem forma anno 1549. De hac verſione ad hunc modum loquitur ERASMUS, *prodiit* GALENUS περὶ τῶν ὑγιεινῶν *tanta fide, tanta luce, tanto* Romani

* Vid. MAITTAIRE Epiſtol. JOH. FREINDO *ad calcem* FREINDI Hiſtor. Medic. VOL. II. adjectam.

ſermonis *nitore redditus ut nihil uſquam deſideret Lector* Latinus. Anno 1521 verſionem GALENI trium περὶ κρασέων Librorum, et περὶ τῆς ἀνωμάλου δυσκρασίας unius, CANTBRIGIÆ edidit; quæ iterum PARISIIS anno 1523 prodiit.

Poſtea GALENI περὶ Φυσικῶν δυναμέων libros tres et περὶ χρείας σφυγμῶν Librum unum cum quibuſdam PAULI ÆGINETÆ περὶ κρισιμῶν ἡμερῶν vertit; quæ verſio PARISIIS iterum anno 1528 impreſſa fuit. Hæc libri περὶ χρείας σφυγμῶν verſio cum aliis GALENI περὶ σφυγμῶν Libris ab HERMANNO CRUSERIO recognita PARISIIS denuo prodiit anno 1532.

Libros præterea XIV θεραπευτικῆς μεθόδου Latine interpretatus eſt, quos Regi HENRICO dedicavit; opus, ut fatetur ipſe, arduum. Hanc verſionem a BUDÆO recognitam PARISIIS ſex poſt LINACRI mortem annis; ſc. anno 1530 impreſſit SIMON COLINÆUS. PARISIIS etiam Librorum quatuor GALENI περὶ συμπτωμάτων LINACRI verſio duobus poſt mortem ejus annis, ſc. anno 1526 excuſa eſt.

Præter hæc ad Artem ſuam ſpectantia opera ſequentes etiam LINACRUS edidit Libros. PROCLI ΣΦΑΙΡΑΝ Latine verſam, quam anno 1499, non anno 1549 (uti mendoſe ſcripſit FRATER NICERON,) typis mandavit VENETIIS ALDUS MANUTIUS. Hunc librum ARTHURO PRINCIPI, cujus Præceptor fuit, et non (ſicut affirmat ERASMUS) HENRICO VII. dedicavit LINACRUS.

GRAMMATICAS etiam *Inſtitutiones* abſolutiſſimas patrio ſermone, in MARIÆ, HENRICI VIII. filiæ, uſum conſcriptas, paulo ante mortem ſuam excudendas commiſit; quas latine reddidit SCOTUS doctiſſimus GEORGIUS BUCHANANUS. Hanc verſionem nitidiſſime excudit ROBERTUS STEPHANUS an. 1536.

1536 *. Alterum haud vulgaris pretii librum compoſuit LINACRUS *de emendata Latini ſermonis ſtructura* ; qui ipſo mortis ejus anno, nempe 1524, primo in publicum LONDINI prodiit ; qui ſecunda vice PARISIIS an. 1527, et tertia ab eodem Typographo doctiſſimo an. 1532 typis mandatus eſt ; quartaque demum VENETIIS an. 1557 in 8vo impreſſus fuit ; in quo libro (ait doctiſſimus Ds MAITTAIRE) conſummatam artis illius, ſc. *Grammaticæ*, *peritiam*, *et multifariam optimorum quorumque autorum lectionem eruditus harum rerum Judex non poterit non admirari* †.

LINACRI noſtri verſiones hiſce verbis laudat doctiſſimus HUETIUS in libro ſuo de *claris Interpretibus* ; *et primum omnium (ſc.* ANGLORUM) *cum propter Hominis ætatem tum propter inſignia in rem literariam beneficia adeamus* THOMAM LINACRUM ; *quo nemo majorem orationis nitorem*, *caſtitatem*, *et condecentiam ad interpretationem contulit*.

Duobus Regibus noſtris HENRICO ſc. VIIº et VIIIº LINACRUM Medicum fuiſſe ordinarium omnibus fere literatis jamdiu conſtat ; quapropter non ſatis mirari poſſumus nec LINDENIUM neque MERCKLINUM, qui LINDENII librum de *Scriptis medicis* ab *extantioribus mendis* purgatum edere profeſſus eſt ‡, portentoſum omnino WOLFGANGI JUSTI in *chronologia* ejus *medica* mendum correxiſſe, qui LINACRUM noſtrum OXONIÆ et CANTABRIGIÆ ſub LUDOVICO XII *Gallorum* Rege *Medicinæ Profeſſorem* fuiſſe ineptiſſime affirmat ||.

P. 8. ITA QUIDEM LINACRUS NOSTER E PAUCIS ILLIS QUI TUNC TEMPORIS VIRTUTE ET DOCTRINA FLOREBANT MEDI-

* Vid. MATTAIRE Epiſt. *prius citat.*

† Ibid.

‡ Vid. MERCKLINI LINDENIUM RENOVAT. *in titulo.*

|| Ibid. P. 1020.

CIS

CIS &c.] Primi LONDINENSIS COLLEGII Socii erant SEX illuſtriſſimi Medici, qui in literis REGIS, quas Patentes vocant, nominantur, JOHANNES CHAMBER, THOMAS LINACRE, FERNANDUS DE VICTORIA, (ſinguli MEDICI REGII) NICHOLAS HALSEWELL, JOHANNES FRAUNCES, et ROBERTUS YAXLEY: Quos *cum omnibus ejuſdem Facultatis hominibus de et in Civitate* LONDINI *in re et nomine unum eſſe Corpus ſive* COLLEGIUM *perpetuum* Regia juſſit Auctoritas. Ex quo argumentari licet, neminem a Rege docto inter homines *ejuſdem Facultatis* cenſeri potuiſſe, niſi qui Doctrinis liberalibus ad ARTEM MEDICAM pertinentibus inſtitutus fuerat; nedum omnes, qui vel illis diebus, in quibus doctorum medicorum non ita magna erat copia, DOCTORIS Titulum, (undecunque aut quomodocunque petitum,) præ ſe gerebant, pro *Hominibus* MEDICÆ *Facultatis* habuiſſe.

P. 9. IN REBUS TUM PHYSICIS TUM MEDICIS NON MINUS VERSATUS.] Quantum in Rebus Phyſicis et Medicis verſatus fuerit CAIUS, operum ab ipſo prelo mandatorum Catalogus, quem hic ſubjungere libet, ſatis indicabit.

I. De medendi methodo, ex CL. GALENI *Pergameni* et JOH. BAPTISTÆ MONTANI *Veronenſis*, Principum Medicorum, Sententia, Libri duo Baſileæ apud FROBENIUM in 8vo impreſſi ſunt 1554. Qui etiam cum JOH. BAPTIST. MONTANI opuſculis variis, ab HIER. DONZELLINO editis, *Baſileæ* in publicum prodierunt in 8vo apud PETRUM PERNAM 1558. Hoc opus in ITALIA ſcripſit, in eoque GALENI et MONTANI veſtigiis omnino inſtitit.

II. CL. GALENI *Pergameni* Libri aliquot Græci, partim hactenus non viſi, partim a mendis, quibus ſcatebant, innumeris ad vetuſtiſſimos Codices repurgati, et integritati ſuæ reſtituti, Annotationibuſque illuſtrati. *Baſileæ* 1544. 4to.

 Hos

Hos Libros in ITALIA caſtigavit, eos vero non ante reditum ſuum in Patriam publici juris fecit.

III. GALENI Liber de Sanitate tuenda. *Baſileæ* 1549. 8vo.

IV. De Ephemera Britannica Liber. *Londin.* 1551. 12°. Hic Liber iterum prodiit *Londin.* 1721. in 8vo et multo ante inter collectanea aliquot CAII, quæ proxime ſubjungemus, *Lovan.* excuſus fuit, anno ſc. 1556. in 8vo.

V. Opera aliquot et Verſiones, videlicet, *De medendi methodo Libri duo. De Ephemera Britannica.* GALENUS *de Libris ſuis et Librorum Ordine* Libri duo. HIPPOCRATES *de ratione Victus in morbis acutis.* De Placitis HIPPOCRATIS et PLATONIS.

VI. GALENI Libri de Oſſibus et Ptiſana, &c. *Baſil.* 1557. 8vo.

VII. De Canibus Britannicis Liber unus. De rariorum Animalium et Stirpium Hiſtoria, Liber unus. De Libris propriis, Liber unus. Omnia Hæc una prodiere *Londini* 1570. in 12°.

P. 10. INTELLIGEBANT SAPIENTIÆ STUDIUM &c.] Videre licet in libello quodam, cui titulus eſt ΝΟΜΟΣ, inter Scripta HIPPOCRATI vulgo attributa edito, quam multa ad medicum *verum* (ἀτρεκέα) formandum requiri exiſtimaverint medici antiqui. Inter plurima, quæ ad Ingenium Medici excolendum neceſſaria ibi recenſenter, *Humanitatis Studia* præcipue commendantur, quibus Diſcipuli ineunte ætate erudiri ſolent; ita enim nomen παιδομαθία nemo poteſt non interpretari. Veniam dabit Lector candidus ſi totum hunc locum e libello

libello ſupra memorato citatum oculis ejus ſubjiciemus; quod eo libentius faciemus, quoniam errorem in Textum irrepſiſſe jamdiu ſuſpicati ſumus, eumque omnino dignum qui animadvertatur. Locus ſic ſeſe habet, *κρὴ γὰρ, ὅςις μέλλει ἰηἰρικῆς ξυνέσιν ἀτρεκέως ἁρμόζεσθαι, τῶν δέ μιν ἐπίβολον γενέσθαι, φύσιος, διδασκαλίης, τρόπου εὐφυέος, παιδομαθίης, φιλοπονίης, χρόνου·* Voces *τρόπος εὐφυὴς* *locus ſtudiis aptus* latine interpretantur Foesius et Cornarius; ad quam interpretationem eos duxiſſe videantur loci duo ſtatim ſubſequentes. Primus eſt hujuſmodi; *φύσιος δὲ εἰς τὸ ἄριςον ὁδηγεύσης διδασκαλίη τέχνης γίνεται, ἣν μετὰ φρονήσιος δεῖ περιποιήσασθαι παιδομαθέα γενόμενον ἐν τρόπῳ ὁκοῖος εὐφυὴς πρὸς μάθησιν ἔςαι.* Secundus, qui paulo inferius in eadem ſectione ſequitur, ad hunc modum eſt; *ὁ δὲ τρόπος ἐν ᾧ ἡ μάθησις, ὁκοῖον ἐκ τῦ περιέχοντος ἤερος τροφὴ γενομένη τοῖσι φυομένοισι· ἡ δὲ φιλοπονίη ἐργασιή· ὁ δὲ χρόνος ταῦτα ἐνισχύσει πάντα ὡς τραφῆναι τελέως·* Jam vero ſi hunc locum recte interpretantur Foesius et Cornarius ab eorum interpretatione argumentum petere licet, quo probare poſſimus hujus libelli auctorem exiſtimaſſe, Medicum quemque in *loco ſtudiis apto* erudiri oportere. At profecto ex duobus jam citatis locis poſterior nos potius adduceret ut credamus Librarios *τρόπος* pro *τόπος* in textum incaute, vel potius, inſcienter intuliſſe; Foesiumque et Cornarium, inſpecto libro quodam, ſive manu ſcripto ſive typis excuſo, accuratiore, latinam ſuam interpretationem concinnaſſe. Quis enim vocem *τρόπος* *locus* unquam interpretatus eſt? Doctiſſimus Clericus, qui vocem *τρόπος* *locus* latine reddi non potuiſſe bene novit, *τρόπος εὐφυὴς*, hujuſmodi paraphraſi uſus (videlicet *un eſprit docile et bien tourné)* ad ſenſum prorſus diverſum torquere non dubitavit; quod ſane non ea, qua ſolet, prudentia, nobis feciſſe videtur. * Etſi enim ſubſtantivum *τρόπος* *Ingenium* latine forſan reddi, atque adjectivum *εὐφυὴς* in

* Vid. Cleric. Hiſt. Med. 4to. Hagæ Batav. ed. p. 234.

eo

eo ſenſu, quem ei tribuit Vir clariſſimus, proculdubio ei adjungi poteſt, tamen hic ſenſus omnino πλεονάζει (quod in ſcriptis Philoſophicis minime admittendum eſt) quippe qui in voce φύσιος proxime prægreſſa neceſſario comprehenditur, cui nullus alius poteſt competere. Ex accuratiore etiam quodam MS. hujus loci textum petiiſſe videtur JOH. ANTONIDES VANDER LINDEN cum eum publice interpretabatur *. In eo enim explicando non tantum vocem τόπος amplexus eſt, et ex conſequenti eam *locus* latine reddidit, ſed *locum* etiam hunc *aptum* de ACADEMIA tali, qualem LUGDUNI BATAVORUM tunc temporis fuiſſe autumabat, intellexit. Non poſſumus igitur non mirari JOHANNIS ANTONIDÆ Filium, qui HIPPOCRATIS opera, a Patre ſuo paulo ante mortem ejus ad prelum parata, (nono quidem anno poſtquam Pater ſuam interpretationem publici juris fecerat) edidit, vocem τόπος a Patre aſcitam, vulgaris (ſc. τρόπος) recipiendæ cauſa, e textu ejeciſſe †; eodemque tempore FOESII et CORNARII interpretationem (ſc. *locus ſtudiis aptus)* non repudiaſſe. At alia de cauſa omnino recte in textum vocem τόπος recepiſſe mihi videtur JOH. ANTONIDES; neque enim loquendi ratio, qua in hoc loco utitur hic, quiſquis fuerit, antiquus ſcriptor, ſi vocem quidem τρόπος retinemus, ullo modo *Græca* eſſe nobis videtur. Nemo enim *Græcorum* veterum, niſi nos fallit memoria noſtra, phraſi hujuſmodi unquam uſus fuit τρόπος ἐν ᾧ; omnes vero, quos nos evolvimus, ad hunc modum ſemper locuti ſunt τρόπος καθ' ὅν. Si vero vox τόπος in textum admittitur phraſis ἐν ᾧ jure retineri poteſt, quippe quæ pure *Græca* eſt; et rationi certe magis eſt congruum exiſtimare Librarios, literula potius una adjecta, quam *Præpoſitione* et *Relativi* caſu mutatis,

* Vid. JOH. ANTON. VANDER LINDEN. ſelect. medic. Lib. I. AMST. 4[to]. ed. 1656.

† Vid. JOH. ANT. VANDER LIND. Hippocrat. ab HEN. VANDER LIND. Lug. Bat. ed. 1665. Vol. I. pag. XLI.

tranſcri-

transſcribendo hallucinatos eſſe. Si igitur libelli hujus auctor τόπος revera ſcripſit, genuina hujus ſententiæ παιδομαθέα γενόμενον ἐν τόπῳ ὁκοῖος εὐφυὴς πρὸς μάθησιν ἔςαι interpretatio eſt hujuſmodi "MEDICUM ab ineunte ætate tali loco erudiri oportere qualis "Doctrinæ acquirendæ bene accomodabitur."

P. 10. QUAMVIS NON FACIAT MEDICUM TAMEN APTIOREM MEDICINÆ REDDERE.] Poſt hæc verba ſtatim ſubjungit CELSUS, *Profecto veriſimile eſt* HIPPOCRATEM et ERASISTRATUM, *et quicunque alii non contenti febres et ulcera agitare* Rerum quoque Naturam *ex aliqua parte ſcrutati ſunt, non ideo quidem Medicos fuiſſe verum ideo* QUOQUE *majores medicos extitiſſe* *, in quibus verbis unum e multis Librariorum erratis, quibus omnium fere Veterum CELSUM maxime fœdatum eſſe novimus, latere ſuſpicamur. Si enim hanc ſententiam prorſus ad hunc modum ſcripſit CELSUS nihil profecto eſt quod miremur QUINTILIANUM eum mediocri Ingenio virum cenſuiſſe. Ecquis enim bono Ingenio præditus ſic ratiocinari unquam potuerit, *non ideo quidem medicos* verum ideo QUOQUE majores medicos *extitiſſe?* Quid, quæſo, hæc conjunctio QUOQUE ad argumentum CELSI pertinet? Si ſcripſiſſet CELSUS *non ideo* TANTUM *Medicos fuiſſe verum ideo* QUOQUE majores *medicos extitiſſe*, *conjunctioni* quidem QUOQUE in ſententia fuiſſet locus, at neque Veritati certe neque *Dialecticæ* ullo modo congruiſſet ſermo iſtiuſmodi. Satis itaque nobis conſtat conjunctionem QUOQUE in CELSI textum Librariorum incuriam induxiſſe, qui literulam omittendo unam hanc toti ſententiæ vim intuliſſe nobis videntur. Nam ſi modo QUOSQUE pro QUOQUE ſcripſiſſe CELSUM arbitramur (quod profecto *adjectivum* ad voces præcedentes *quicunque alii* referri debet) ſenſum Auctore omnino dignum, literulam s reſtituendo, facile reſtituemus.

* Vid. CELSI Præfat.

P. 12.

P. 12. NEMO ENIM CERTE NUNC DEMUM NARIS EST ADEO EMUNCTÆ UT PRÆCLARUM HOC INVENTUM IN ANTIQUORUM SCRIPTIS SUBOLFACIAT.] Nonnulli ex Anatomicis ſæculi proxime elapſi, præ nimia Antiquis omnia attribuendi cupiditate, CIRCUITUM SANGUINIS HIPPOCRATI non ignotum eſſe ineptiſſime contenderunt; inter cujus ſententiæ omnino ridiculæ Defenſores eminuit JOHANNES ANTONIDES LINDENIUS, celebris operum HIPPOCRATI vulgo attributorum Editor; qui hujus tuendæ cauſa libellum paulo ante obitum ſuum LEYDÆ edidit. Locus, quem ex HIPPOCRATIS ſcriptis ad ſuam opinionem ſtabiliendam plerumque citant ejus Defenſores, in libro *περὶ Φλέϐων* extat; et mihi quidem ſententiam, cujus confirmandæ cauſa adduci ſolet, funditus videtur evertere. Hujus libelli auctor ad hunc modum in SECT. XVII. ſcribit; *αἱ Φλέϐες διὰ τȣ̃ σώματος κεχυμέναι πνεῦμα καὶ ῥεῦμα καὶ κίνησιν παρέχονται ἀπὸ μιῆς πολλαὶ διαϐλαστάνȣσαι· καὶ αὕτη μὲν ἡ μία ὅθεν ἦρκται καὶ ᾗ τετελεύτηκεν ȣ̓κ οἶδα· κύκλȣ γὰρ γεγεννημένȣ ἀρχὴ ȣ̓χ εὑρέθη.* Hic, inquam, locus LINDENII opinionem evertere videtur. Nam, præterquam quod de PULMONIBUS, quibus cum CORDE tanta eſt Officii et conjunctionis in Sanguine circumagendo neceſſitudo, ne verbum quidem facit Hic Scriptor; conſtat eum, qui differentiam inter Arterias et Venas adeo ignoravit, ut Arteriam magnam et Venam Cavam unum atque idem Vas fuiſſe exiſtimaverit, earum uſus ſcire non potuiſſe; Illam nempe Sanguinem a Corde receptum propellere, Hanc eundem ad Cor perpetuo reducere. Hic autem Sanguinis per Arterias propulſus et per Venas reductio nihil aliud eſt quam ipſiſſimus SANGUINIS CIRCUITUS, ab HARVEIO probatus; quem qui neſciverit, is certe (quodcunque de uno Vaſe circulari Sanguinem per corpus trajiciente inſcienter effutiverit) neque verum ejus motum, neque vaſa, per quæ movetur, animo complexus fuerit neceſſe eſt.

P. 13. NON SERVETUS: NON COLUMBUS: NON IPSE ETIAM CÆSALPINUS.] Neque meliori jure Hoc Inventum ſibi vindicare poſſunt ſive celeberrimus VENETUS vulgo dictus PATER PAULUS, ſive FABRICIUS ab AQUAPENDENTE, cui PAULUM, ſub ſigillo amicitiæ, Hoc arcanum commiſiſſe refert LEONICENUS. Etiamſi enim (quod minime concedendum eſt) nonnulla in hujus Rei teſtimonium admittamus, quæ non prius publici juris facta ſunt quam præclarum ſuum inventum HARVEIUS cum ſuis communicaverat, attamen hujus de PAULO commenti originem nobis luculenter expoſuit doctiſſimus ENTIUS; qui in Epiſtola ſua, ad ipſum HARVEIUM ſcripta, Apologiæque ſuæ pro CIRCULATIONE SANGUINIS præmiſſa ſic ſcribit "Iſtius autem commenti fabulam jam-"pridem a te mihi narratam memini: Nempe LEGATUM "VENETUM ad ſuos reditum parantem libro tuo de CIRCULA-"TIONE SANGUINIS a te donatum fuiſſe, eundemque poſtea "PAULO legendum exhibuiſſe; indeque Virum hunc cele-"brem memoriæ cauſa pluſcula tranſcripſiſſe; quæ, ipſo "mox defuncto, in Hæredis manus inciderint; habereque te "literas a FULGENTIO, ipſius ſodali, ad te ſcriptas, quæ "rem eandem clara exprimerent." Ampliſſimum hujuſmodi teſtimonium nemo certe omnium propterea in dubium vocare poteſt, quod HARVEIUS librum ſuum de CIRCULATIONE SANGUINIS non niſi quinto poſt PAULI obitum anno typis mandaverat: qui norit Hunc Legatum, cui nomen erat ANTONIO DONATO, ad ſuos anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono rediiſſe *; eodem ſcilicet anno, quo Inventum ſuum patefecerat HARVEIUS; annoque quarto ante obitum PAULI, qui e Vita exceſſit anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo tertio. Si enim quod de LIBRO HARVEII narrat ENTIUS, id de MATERIE libri, quam anno 1619. in PRÆLECTIONE noſtra CHIRURGICA expoſuerat, et quam non ante

* Vid. NANI, Vol. I. p. 181.

annum

annum 1628. typis mandabat, interpretamur, (quæ ſane interpretatio nequaquam eſt dura) facile videbimus hanc ENTII narratiunculam cum PAULI morte optime congruere. Non vero ſine riſu audienda eſt iſta de PAULO FABRICII ab AQUAPENDENTE fidei hoc arcanum ſuum committente Fabula. Quid enim PAULUM potius quam FABRICIUM, quominus in lucem proferret hoc inventum, impediret? impediretne fulminis Papalis metus, aut contumelioſa Vulgi vociferatio? Quid? Illumne, quem vultus inſtantis Tyranni a Tyrannide ipſa oppugnanda arcere non potuerat, illumne, inquam, vana incerti remotique periculi ſuſpicio a propoſito ejus deterreret? Si eum ab errore populari et lucroſo impugnando ira atque odium, quæ contra eum excitaverant ſuperſtitio et nequitia, avertere non potuerant; poſſetne, ille ab opinione ſimpliciter philoſophica (in qua pervulganda incertum, ſiquod ullum, fuiſſet periculum, certum vero gloriæ atque immortalitatis propoſitum fuiſſet præmium) propaganda facile abſterreri? At ſi majorem ei metum in hoc caſu quam in illo injicere potuiſſe ſuperſtitioſam Temporis conditionem concedemus; cur FABRICIO, qui, utpote in eadem regione degens, eodem cohiberetur timore, arcanum ſuum crederet? cur non illud, quemadmodum FABRICIUS ipſe feciſſe dicitur, poſt mortem ſuam pervulgandum reſervaret? aut, ſi id, dum vixit, proferri maluit, cur non amico cuidam ſuo conjunctiſſimo, celato ſuo nomine, proferendum ea conditione committeret, ut tanti inventi gloriam vero ejus Inventori poſt mortem ejus vindicaret? Quis autem HARVEIUM tanta neceſſitudine cum PAULO conjunctum fuiſſe unquam aſſeruerit? aut, quiſnam, obſecro, amicum ſuum ita fallere potuiſſe HARVEIUM unquam crediderit, qui de moribus atque ingenio ejus tantillum audiverit? Hactenus contra fabulam de PAULO et FABRICIO ab AQUAPENDENTE probabiliter argumentatus fui; eo ſcilicet propoſito, ut, quantum omnibus ludibrio eſſe debeat,

 copioſius

copiosius ostenderem; quod nisi in animo mihi fuisset, eam falsissimam esse uno Facto demonstrassem. Si enim in FABRICII Scriptis nulla de Sanguine circumacto occurrit mentio; nemo mentis sanæ eum de tali sanguinis motu unquam somniasse existimabit. Quid vero ad hanc rem spectans ibi extat, præter Venarum VALVULAS? Hæ quidem, quippe quæ sanguini versus COR movendo evidenter inserviunt, solertem investigatorem adducere possent ut crederet sanguinem non per Venas a Corde ad Artuum extremitatem propelli: Et profecto mirum est FABRICIUM, qui eo usque progredi potuerat, non ultra progredi potuisse. Longe solertius hanc rem indagavit HARVEIUS; qui, valvularum usu semel investigato, verum Sanguinis motum cito odoratus fuit: Venarum enim VALVULÆ (sicut nobilissimo BOYLEO HARVEIUS ipse retulit *) illum primo adduxerunt ut suspicaretur Sanguinem a CORDE ad COR, quasi a Fonte ad Fontem, perpetuo circumagi. Cum enim Valvulæ, quominus Sanguis a Corde per Venas emitteretur, prohibere viderentur; ex iis argumentum sumsit probabile Vir acutissimus, Sanguinem a Corde per Arterias in Venas trajici. Quid autem harum Valvularum Repertori cum Sanguinis CIRCUITU qui nihil de eo suspicabatur? Quid refert VALVULAS VENARUM reperisse, si nihil præterea FABRICIUS repererit? Si nihil post eas repertas de vero Sanguinis motu subolfecerit? Cordis Valvulæ (quarum opera in Sanguine circumagendo non minus quam Venarum Valvularum utitur Natura) Veteribus fuerunt bene cognitæ: Quis vero exinde unquam collegerit Sanguinis CIRCUITUM illos non fugisse? Cur Valvulæ Venarum detectæ FABRICIUM non ignorasse CIRCUITUM arguerent; et Valvulæ Cordis, quæ ad Sanguinem circumagendum non sunt minus necessariæ, Veteres eundem perspexisse non arguerent, profecto non video.

* Vid. BOYLEI Disquisition. de CAUSIS FINAL. Prop. II.

P. 13.

P. 13. QUOD ILLI, DENIQUE, VIX SUBMONUERANT, IPSE EXPOSUIT, PROBAVIT, STABILIVIT.] Non diffitendum eſt illos conjectura id aſſecutos eſſe; Sanguinem ſcilicet a Ventriculo Cordis dextro in ſiniſtrum per pulmones derivari *: Quam longe vero diſcrepaverint ea, quæ illi omneſque Recentiores alii ante HARVEIUM de Sanguinis CIRCUITU excogitaverant, ab iis, quæ Noſtras ipſe de eo palam protulit, ex eo judicare licet, quod, quicquid de ea re (annis quinquaginta amplius antequam HARVEIUS Hoc inventum ſuum COLLEGIS aperuerat ſuis) innuerant Recentiores alii, id omne tanquam temere dictum ab omnibus ejus ſæculi Doctis prætermiſſum et neglectum fuit: Simul atque vero librum ſuum DE MOTU CORDIS ET SANGUINIS ediderat HARVEIUS, ſubitaneo tanti luminis fulgore excitati ad eam rem exquiſitius inveſtigandam omnes ubique gentium Anatomici ſe accinxerunt: Cujus libri tanta fuit Veritas; ut contra fictas hominum Antiquis nimium deditorum Inſidias, Calliditatem, atque Invidiam, facile ſe per ſeipſam defenderit.

P. 14. CUR ULLA HUJUS UTILITATIS AB HARVEII INVENTO DERIVATÆ EXEMPLA PROFERAM?] Præter noſtrum Propoſitum eſt pleraque in THERAPEUTICAM Artis noſtræ Partem ab Invento HARVEIANO derivata commoda hic loci recenſere; quæ librum dedita opera ſcriptum, et plus otii quam quod nobis ſuppetit, requirunt. Hoc autem obiter notare liceat; ſi nullum aliud medici ex Hoc Invento ceperant emolumentum quam quod omnia ea, quæ obſervarat Antiquorum Sedulitas, explicaverit et confirmaverit, hoc minime contemnendum eſſe.

* Vid. SERVETI Chriſtianiſm. Reſtitut. et REALD. COLUMB. Anat. LIB. VII. et AND. CÆSALPIN. Quæſt. Peripatetic.

P. 15. QUI QUANTUM LUCIS A PHYSIOLOGIA NOVA, EX SANGUINIS CIRCUITU NUPERRIME DEMONSTRATO, MOX ORITURA ACCEPTURÆ ESSENT MORBORUM CAUSÆ JAM ANTE ANIMO PROSPICIENS.] Mortuus eſt GULSTONUS anno 1632. ſc. decimo tertio poſtquam INVENTUM ſuum COLLEGIS ſuis patefecerat HARVEIUS ; qui id cum iis anno 1619 primo communicabat.

P. 16. HIC, DENIQUE, EAM FIBRARUM ANIMALIUM PROPRIETATEM, QUÆ FACIT UT EÆ SINE SENSU IRRITENTUR, PRIMUS NOTAVIT ET NOMINAVIT.] Vid. GLISSON. Tractat. De VENTRICUL. et INTESTIN. CAP. VII. SECT. III. ubi ad hunc modum de hac PROPRIETATE loquitur. " Fibræ Muſculorum " in animalibus defunctis acribus et pungentibus liquoribus " tactæ, ſe contrahunt. Item omnes muſculi, in defunctis " perceptione frigoris excitati, ſe tonico motu fortiter con- " ſtringunt, et corpus rigidum efficiunt. Corda animalium " aliquorum exempta, immo et diſſecta adhuc pulſare nitun- " tur. Quid opus eſt pluribus ? Hinc ſatis certo inferre " licet FIBRAS ABSQUE SENSUUM AUXILIO POSSE IRRITATIO- " NEM PERCIPERE ET CONFORMITER SE MOVERE." Vid. etiam SECT. VI. ejuſdem CAP. ubi ſic ſcribit Vir Doctus. " Quo- " ties ea (ſc. cauſa irritans) non ſenſu, ſed ſola PERCEPTI- " ONE NATURALI dignoſcitur, Hæc SOLA eſt, quæ FIBRAS " IRRITABILES conſtituit." Ex quibus verbis ſatis conſtat D^um TISSOTUM, qui cl. HALLERI Diſſertationem in linguam Gallicam vertit, non animadvertiſſe quam plene hanc Proprietatem intellexerit GLISSONUS * ; quam in Fibris quibuſdam Animalibus inſitam eſſe ubique aſſeruit : Quod non modo eum feciſſe, ſed vocem etiam IRRITABILITAS ipſam excogitaſſe ingenue fatetur HALLERUS. † Nihil autem certe fuit unquam

* Vid. DISCOURS PRELIMINAIRE, P. XI.
† Vid. COMMENTAR. SOC. REG. SCIENT. GOTTING. Tom. II. P. 155.

 ineptius

ineptius quam quod Vir doctus, de GLISSONI laudibus derogandi causa affirmare non dubitavit; eum nempe, cum corda Animalium corporibus exempta pulsare, fibrasque, in Animalibus defunctis acribus liquoribus tactas sese contrahere animadverterat, nihil amplius competisse quam quod LANII ipsi quotidie vident: Quod sane idem est ac si dixisset NEWTONUM, cum GRAVITATEM Materiæ Proprietatem esse invenerat, nihil aliud reperisse quam quod Rusticus quilibet ante intellexerat, qui Pomum ex Arbore in terram decidere unquam viderat. Nemo enim certe INVENTORIS nomen ex eo sibi arrogare debet, quod hoc aut illud corporum accidens, sensibus quotidie occurrens, observaverit: Ille vero solus INVENTOR est habendus, qui, ex idonea Accidentium sæpissime animadversorum copia, hanc aut illam Corporis cujuslibet PROPRIETATEM collegerit; eamque LEGEM NATURÆ esse primus INVENERIT. Si igitur GLISSONUS non modo IRRITABILITATEM in fibris quibusdam animalibus insitam esse primus animadverterit, sed eidem Fibrarum Proprietati, pro lege Naturæ sibi habitæ, etiam nomen primus dederit, quid aliud quæso, præterquam hanc Proprietatem pluribus experimentis confirmare, facere potuit cl. HALLERUS? quem omnium luculentissime eam exposuisse, et quænam Partes ea præditæ sint plenissime docuisse lubenter fatemur: TISSOTO autem minime assentiri possumus asserenti ornatissimum Virum eam primum reperisse. Longe æquius et modestius in hoc Negotio (uti prius indicavimus) se gessit HALLERUS; Vir nequaquam istiusmodi, qui gloriam suam non sartam tectam esse judicet, nisi alienum diruerit.

P. 16. QUAMPLURIMA IN ANIMALIBUS TAM VIVIS QUAM MORTUIS &c.] Exemplum hujus IRRITABILITATIS notatu dignissimum in Cadavere Nobilis cujusdam, cui ægrotanti Medicus adfueram, hic prætermittere nequeo. Hujus Fauces,

quæ

quæ per aliquot horas, poſtquam extremum efflaverat halitum, fuerant diductæ, irritante eas quadam materie acri, tanto ſonitu ſubito occludebantur, ut terrorem aſtantibus incuteret.

P. 20. IN TRACTATU PERELEGANTI PERSPICUE EXPONEBAT.] In hoc libro celeberrimo inter plurima Experimenta unum ſingularis in PATHOLOGIA uſus nobis exhibuit Vir clarus; quo ſane experimento nos primus docuit, quomodo Pectori inducatur Hydrops; integris adhuc aliis corporis partibus: ligata enim *Vena Cava*, tranſituque Sanguinis verſus Cor impedito, ſtatim ſecedere ſerum a Sanguine in *Vena Cava* obſtructo; cavaque circumpoſita morboſo flumine irrigari primus demonſtravit LOWERUS. * Hoc experimentum ſedulo conſideranti patebit illorum error, qui HYDROPEM cujuſcunque generis Sanguini nimis tenui et ſeroſo ortum ſuum debere arbitrantur; quod Medicorum vulgus jamdiu exiſtimarunt atque etiamnum exiſtimare ſolent. Hinc etiam patebit cauſa cur, HYDROPE laborantibus quotieſcunque aliqua de cauſa extractus fuerit Sanguis, craſſamentum ejus tam longe plerumque abfuit a tenui craſi ut totum fere gluten ſeſe exhibuerit: Quod nunquam certe fieret, ſi colluvies ſeroſa in Vaſis ſanguiferis nimis abundaret. Nonne hinc dubitare licet an ullum HYDROPIS genus a ſanguinis tenuitate oritur præter id, quod *Hæmorrhagias*, quibus nimium craſſamenti exhauriri ſolet, immodicas ſequitur? Annon cætera qualia cunque HYDROPIS genera ſanguini vaſa ſua (ſive propter viſcidam ſuam indolem, ſive propter ſolidorum laxam debilemque διάθεσιν, quæ ſanguinem ſatis exagitare ideoque attenuare nequeunt) non facile permeanti plerumque ſint aſcribenda? Sanguiſne igitur ſeroſus unquam HYDROPIS cauſa, an ſemper

* Vid. LOWER de Corde CAP. II.

ejus

ejus effectus censeri debet, nisi ubi ex nimio sanguine rubro effuso evidenter oritur. Serosa enim colluvies, quæ ex parte obstructa semper exsudare incipit, non, nisi diu post inceptam obstructionem, habitum inundare potest, ideoque ea non rectius HYDROPUM ab obstructione oriundorum (cujusmodi plerique sunt) causa, quam flavus cutis color ICTERI causa, haberi debet.

Animum aliquando mihi subiit suspicari fuscum istum liquorem, qui ex Herniis laborantium Pelvi, secante Chirurgo, effluere solet, hoc Fonte interdum derivari. Non ignoro clarissimum HALLERUM hunc liquorem NATURALEM et CONNATUM Abdominis Hospitem esse existimare *. Cum vero eum tanta copia, dissecto Peritonæo, erumpere aliquoties viderim, quanta nulla naturali corporis humori competere poterat, ad suspicandum ductus fui hunc liquorem maxima ex parte fuisse serum a sanguine compresso separatum, quod per nimis laxa vasorum sive *exhalantium* sive *inhalantium* ora in pelvim evaserat.

P. 21. PLURIMA IN EUM FINEM EXPERIMENTA EXCOGITAVIT.] Complures de hujus INVENTI honore cum LOWERO certaverunt. Ipse vero hanc gloriam a DIONYSIO quodam, in GALLIA illam præripere cupienti, sibi jure vindicavit †. Atque hujus INVENTI famæ quam tenax fuerit Vir doctus ex ipsius verbis, quibus libri sui *Capiti quarto* finem imponit, judicare possumus. " Interim (inquit) hoc saltem gentis no-
" stræ seu felicitati seu etiam laudi tribuatur, quod uti HAR-
" VEIUS sanguinem intra propria vasa CIRCULANTEM cor-
" pori suo Vitam præstare primus docuerit: ita et eum

* Vid. HALLERI opuscul. Patholog. P. 65.
† Vid. LOWER. de Corde. CAP. IV.

" extra corporis ſui ambitum ad alterius ſalutem transferri " poſſe a NOBIS primo detectum eſt." Quamobrem ex hoc præclaro INVENTO uberiores ARS MEDICA non ceperit fructus prorſus neſcimus? Utrum LOWERI ſagacitati parum reſponderit Poſterorum Induſtria? An (quod veri quidem ſimilius eſſe videtur) matura huic Invento non ſuffragata fuerit Experientia nondum nobis conſtat? Quod ad ſanguinis e BRUTIS in HOMINES *Transfuſionem* attinet, contra quam argumentis tantum probabilibus, et non (quod facere oportebat) experimentorum certorum numero pugnat MERCKLINUS *, omnino credibile eſt quorundam ſuperioris ſeculi doctorum ſcripta tantum pleriſque metum, ne BRUTORUM *ſanguinem* in Venas ſuas recipiendo BRUTORUM *naturam* paulatim induerent, injeciſſe, ut eos ab iſtiuſmodi *Transfuſione* prorſus deterruerint. Utcunque vero hæc res ſeſe habuerit, hoc certe conſtat; quod etſi DIONYSIO (quippe qui de hoc Invento nullam fecerat mentionem niſi integro poſt anno quam LOWERI Experimenta publici juris facta ſunt) nullo modo illud ſibi arrogare licet; plures tamen ejuſdem Inventi Auctores fieri poſſint; ſicut eveniſſe fertur in PULVERE PYRIO componendo; cujus Inventor alter olim in regno SINENSI vixiſſe dicitur, alterum in EUROPA recentiorem extitiſſe certo ſcimus; ideoque, quiſquis hoc Inventum præter LOWERUM jure ſibi vindicaverit, ille proculdubio, ſalvo LOWERI honore, illud vindicare poterit. Quam valde igitur MERCKLINUS in eo, quo hoc Inventum diu prius in doctorum quorundam ſcriniis latuiſſe quam illud ediderat LOWERUS probare ſatagit, argumento ineptit! Etſi enim hoc veriſſimum eſſe poteſt, cum tamen hoc Inventum primus omnium protulerit LOWERUS, illumque in hac re nemo hominum plagiarii criminis un-

* Vid. MERCKLIN. de ortu et occaſu Transfuſion. Sanguin. Tract. Norimberg. 8vo edit.

quam

quam insimulaverit, docti certi omnes, quos hujus Inventi participes fecerit, illum pro Inventore saltem ejus, si non pro primo habere debent.

P. 21. HUIC UTILI DEMUM OPERI SE ACCINXIT WHARTONUS.] Utriusque ACADEMIARUM ANGLICARUM ornamentum fuit WHARTONUS; quippe qui literis CANTABRIGIÆ eruditus fuit, et Doctoratum OXONIO acceptum retulit. Librum suum de *Glandulis* egregium, cui titulus est *Adenographia*, et de quo in ORATIONE nostra agitur, anno Dom. 1656 primo edidit, COLLEGIOQUE nostro, quod summa observantia coluit, dicavit.

P. 22. QUIS AUTEM SILENTIO PRÆTERIRE POTEST CELEBREM HARVEII DEFENSOREM DOCTISSIMUM ENTIUM?] Hic Medicus celeberrimus, qui magnum ævi sui fuit ornamentum, HARVEIUM nostrum in Tractatu quodam, quem APOLOGIAM PRO SANGUINIS CIRCULATIONE nominavit contra PARISANUM copiose defendit. De cæteris hujus Medici eruditi operibus consulat Lector candidus D^ni^ Doctoris GOODALL *Epistolam Dedicatoriam* sub initio ejus *Narrationis Historicæ* de controversiis judiciariis, quæ COLLEGIO cum EMPERICIS fuere, editam.

P. 22. QUIS CLARISSIMI SCARBURGII?] Hic Vir illustris, qui CAROLI II^di^ et DUCIS EBORACI Medicus fuit ordinarius, rationes Geometricas Mechanicasque in Disquisitiones *Anatomicas* primus nostratium induxit; quas in *Exercitationibus* suis de MUSCULIS, in CHIRURGORUM Theatro per annos septemdecim, plaudentibus omnibus, habitis, mira quidem felicitate adhibuit. De hoc Viro dignissimo celeberrimus Poeta nostras AB. COULEIUS ad hunc modum non minus eleganter quam facete loquitur, *Illum primi, magni sui Præceptoris* (sc.

HIPPOCRATIS) Aphorismi *sensum*, VITAM *nempe reddendo* LONGAM ARTEMQUE BREVEM, *prorsus invertisse*.

P. 22. QUIS CHARLETONI?] Regis CAROLI II[di] medicus ordinarius fuit CHARLETONUS. Literis OXONII institutus varios ad rem medicam spectantes composuit Libros, Doctrinæ recondita plenos, qui nomen ejus adeo orbis medici gratiæ commendabant, ut in Professoris PATAVINI cathedram conditionibus liberalissimis invitaretur.

P. 22. QUIS CROUNII?] Quam egregius PHYSIOLOGUS fuerit CROUNIUS, qui CANTABRIGIÆ Artium Disciplinis eruditus erat, ex doctis ejus de OVO commentariis, multo ante (si CROUNIO ipsi credere licet*) quam sua scripta de ea re ediderat clarissimus MALPIGHIUS, compositis; itemque ex Doctrina ejus de MUSCULORUM MOTU, quam in Dissertatione primum LONDINI anno 1664, deinde AMSTELODAMI 1667 edita, et postea in Prælectionibus in CHIRURGORUM LONDINENSIUM Theatro annis 1674 et 1675 habitis, cum orbe Medico communicavit, (quarum Prælectionum postea inter Philosophica doctissimi HOOKII collectanea Epitomen protulit) judicare potest Lector æquus.

P. 22. QUIS DENIQUE NEEDHAMI?] Doctissimus GUALTERUS NEEDHAMUS in Collegio S. S. TRINITATIS apud CANTABRIGIENSES educatus fuit; ubi Disquisitionis suæ celeberrimæ de FORMATO FOETU fundamenta (uti in Præfatione ejusdem operis ipse narrat) posuit; quod sane opus, hortante nobilissimo clarissimoque BOYLEO ad umbilicum perductum, sub ejus auspiciis in publicum proferebat anno 1667.

* Vid. WARD's Lives of the Professors of GRESHAM COLLEGE, P. 321. Fol.

P. 22. MINIME PROFECTO MIRUM EST SI ILLUSTRISSIMUM DORNAVIÆ MARCHIONEM &c.] Nobiliſſimus Hic MARCHIO centum libros COLLEGIO noſtro ad libros emendos dono dedit vivens; morienſque BIBLIOTHECAM ſuam ampliſſimam, quatuor mille libris æſtimatam, teſtamento ei legavit.

P. 23. SPECIFICUM NUNQUAM SATIS LAUDANDUM PRIMUS NOSTRATIUM FELICITER ADHIBUIT.] Vide MORTONI Πυρετολογίαν. P. 132. Ubi conſtat illum ab anno 1667 CORTICE PERUVIANO uſum eſſe. Anno autem priore (ſc. 1666) SYDENHAMUS, etſi CORTICEM "in QUARTANARUM declinatione "prudenter et caute adhibitum aliquando profuiſſe et Pa-"roxyſmos omnino ſuſtuliſſe inficias ire non vult, tamen "SPECIFICUM, quod intermittentium curſum non SOLUM IN-"HIBEAT ſed etiam OMNINO ABRUMPAT, adhuc deſiderari to-"tidem verbis in eodem loco queritur." Vid. METHODUM CURANDI FEBRES &c. a SYDENHAMO EDIT. anno 1666; quam quiſquis contulerit cum CAP. de INTERMITTENTIBUS OBSERVATIONUM MEDICAR. edit. anno 1675, Ille fateatur neceſſe eſt SYDENHAMUM ab anno 1666 ad 1675 Corticem non niſi parce et caute adhibuiſſe; atque id remedium tam TERTIANIS quam QUARTANIS mederi potuiſſe anno 1667 nondum animadvertiſſe; quo tunc temporis ſe quotidie uſum eſſe in OMNIBUS Intermittentibus affirmat MORTONUS.

P. 25. QUAM EX SEIPSO ALIIS MEDICINÆ SCIENTIAM CONSTITUISSE.] Non DOGMATICAM quidem Diſciplinam, qua GALENUS eam corruperat, (ID QUOD FACILE FACTU SIC SATIS SIT) ampliando, ſed HIPPOCRATICAM Viam, (QUOD ESSET VALDE ARDUUM) qua ſola ad veram MEDENDI Artem progrediendum eſt, jamdiu deſertam rurſus indicando et inſiſtendo.

P. 25. ILLE OPIO VARIOLARUM FURUREM PRIMUS COMPESCUIT.] Ex SYDENHAMI operibus ſatis conſtat illum OPIUM VARIOLIS laborantibus aliquo tempore inter annos 1666 et 1675 primo exhibuiſſe. In primo enim ejus Opuſculo, cui titulus eſt *Methodus curandi Febres propriis Obſervationibus ſuperſtructa*, quod primum in lucem prodiit anno 1666, et ſub cujus finem de VARIOLIS diſſerit, nullum OPII mentionem facit: Atque in OBSERVATIONIBUS ſuis, quæ anno 1675 primo edita ſunt, OPIO ſe in iſto morbo tractando jamdiu uſum fuiſſe totidem verbis affirmat. Sed fortaſſe inquiet Lector benevolus, anno 1662 prodiit Libellus Anglice ſcriptus, verba hujuſmodi latina, HACTENUS INAUDITA, in Fronte gerens; in quo DOCTOR *neſcio quis* temerarius iſtius temporis, quod cuidam *neſcio cui* VARIOLIS laboranti DIACODIUM immodice exhibuerat, jure vapulat. Hoc tamen Factum iis, quæ SYDENHAMO de OPIO exhibendo hic attribuimus, non repugnat. Neminem enim hoc medicamenti genus VARIOLOSIS circa hoc tempus præter DOCTOREM ſupra memoratum adhibentem, nedum quibus doſibus, aut quibus morbi temporibus VARIOLARUM *furori compeſcendo* optime accommodetur, docentem invenimus. Hanc OPII exhibendi rationem primum excogitaſſe SYDENHAMUM affirmamus. Neque cur aliter ſentiamus cauſam ullam adhuc habemus.

P. 26. QUI SYDENHAMO ANNIS ET HONORE PLENO AD URBEM VENIENS &c.] Ab OXONIO ad LONDINUM commigravit RADCLIVIUS anno Dom. 1686 et mortuus eſt SYDENHAMUS anno 1689.

P. 28. HUNC PERIPNEUMONICO ESSE GENERE PRIMUS INTELLEXIT MEADUS.] Hujus morbi SPECIEM non ſatis intellexiſſe videtur SYDENHAMUS. Etſi enim tuſſim pectoralibus delinire ſolitus eſt, morbumque inflammationis aliquando parti-

participipem esse, immo et sanguinem liberaliter interdum extrahendum esse existimavit, symptomata tamen ejus non genuinæ PERIPNEUMONIÆ esse sobolem, sed PERIPNEUMONIAM tantum MENTIRI autumavit; Venamque non omnibus Morbi temporibus, urgente tussi, secari jussit, "sed post Mor-" "bi solummodo discessum, vel si ARTIFICIALI aut ADSCI-" "TITIO calori debeantur symptomata, eam secandam esse" "concessit *." MEADUS autem, PERIPNEUMONICO hujus morbi genere penitus perspecto, tam NATURALEM quam ARTIFICIALEM ejus calorem temperandum esse censuit, omnibusque ejus temporibus, urgente tussi, Venam secandam esse PRIMUS docuit; eamque, ineunte morbo, plerumque secando, ne atrociora, quæ sub finem morbi ingruere solent, acciderint symptomata, feliciter providit †.

P. 34. VIRUM HUNC EGREGIUM LUGEANT NOSTRÆ, QUAS DILEXIT, ACADEMIÆ.] Medicus Hic celeberrimus amorem suum erga ACADEMIAM OXONIENSEM, Scholamque, in qua literarum rudimenta didicerat, WESTMONASTERIENSEM amplissime in hunc modum moriens testatus fuit; fortunas scilicet omnes suas ACADEMIÆ illi in hos usus legavit, ut aliquem ex ÆDIS CHRISTI alumnis e Schola WESTMONASTERIENSI electis, qui Anatomiæ publice docendæ operam daret, annuo centum librarum stipendio Illa donaret: cui laudabili Instituto quo melius præstando inservire posset Vir eximius, quadraginta insuper libras cadaverum adultorum emendorum causa quotannis assignavit; quibus bis in anno dissecandis SEX ÆDIS CHRISTI alumnos *gratis* interesse jussit; atque ut eo fidelius PRÆLECTOR Hic ANATOMICUS munere suo fungatur, ne amplius sex menses ab ÆDE CHRISTI singulis annis absit, Vir prudens edixit.

* Vid. SYDENHAM. Opera Lug. Bat. edit. p. 198, 199. et 589.
† Vid. MEAD. de MORBILL.

P. 35.

P. 35. QUOD ANNUAM HANC DICENDI OCCASIONEM IPSE RESTITUERIT.] Ab anno 1705 ad annum 1719 intermiſſæ erant ORATIONES HARVEIANÆ, quo tempore clariſſimus FREINDUS *Collegas* ſuos firma ſocietate devinciendi ſtudioſus, ut annuæ, ſicut præceperat HARVEIUS, reſtituerentur ORATIONES benevolentiſſime propoſuit; in cujus Propoſiti teſtimonium POCULUM ARGENTEUM extrinſecus inauratum, (cui ſententiam latine ſcriptam ad Amicitiam COLLEGAS hortantem, incidendam curavit,) COLLEGIO dedit. FREINDO orationum Reſtitutionem proponenti non tantum lubenter aſſenſus fuit PELLETUS ſed munus ORATORIUM primus ſuſcepit, omniumque votis cumulatiſſime ſatisfecit. Quæ cum ita ſint, ſicut doctiſſimus alius ORATOR FREINDUM orationis HARVEIANÆ INSTAURATOREM jure appellavit, ita Nos PELLETUM orationis ejuſdem RESTITUTOREM pari jure denominavimus.

P. 36. DE QUO ADHUC JUVENE TANTAM SPEM CONCEPERAT CANTABRIGIA SUA &c.] Ineunte Vere anni 1706 annoque ab ACADEMIA FUNDATA 201° SECULARIA SACRA celebrabat ACADEMIA FRANCOFURTI ad VIADRUM; ad quam unum e ſingulis Facultatibus DOCTOREM ſc. ANDREAM SNAPE S.T.P. HENRICUM PENRICE LL. D. atque HENRICUM PLUMPTRE M. D. unumque Artium Magiſtrum nempe GULIELMUM GRIGG gratulabundos miſit ACADEMIA CANTABRIGIENSIS. DOCTORES SNAPE et PENRICE gradus ſuos ſecundum ordinarias ACADEMIÆ Regulas et Statuta ſuſceperant. PLUMPTREIUS vero per ætatem nondum poterat; quem tamen hac Legatione honorifica adeo omnium digniſſimum cenſuit ACADEMIA ſua ut ei DOCTORATUM hujus muneris ſuſcipiendi cauſa ante debitum tempus ultro detulerit.

P. 39. QUEM ETSI FLORUIT APUD SÆCULUM PRIUS NUPERRIME TAMEN E COLLEGIO EREPTUM FLEMUS.] Antiqua a ſtirpe

a ſtirpe HIBERNICA ortus SLOANIUS in ANGLIAM circa annum 1680 venit, ubi ſingularis ejus BOTANICES ſcientia SYDENHAMI tunc temporis ſenectute morbiſque confecti gratiæ eum adhuc Juvenem commendabat. Anno 1686 DUCI ALBAMALÆ, inſulæ JAMAICÆ Præfecto, conſtituebatur Medicus; unde, regnare incipientibus GULIELMO et MARIA, in ANGLIAM rediens tanto in honore diu habitus fuit, ut quatuor Principibus continuata ſerie regnantibus, GULIELMO, ſcilicet, ANNÆ, GEORGIO PRIMO, AUGUSTISSIMOQUE PRINCIPI GEORGIO SECUNDO, felicis Memoriæ, Medicus fuerit ordinarius ; neque ante annum 1753 annis amplius nonaginta natus e vita exceſſit.

P. 39. HOC DUCE TRUCULENTISSIMUM NON MODO VITÆ, SED FORMÆ ETIAM HUMANÆ HOSTEM SUPERAVIMUS.] Libellum omnino ineptum, VARIOLAS INSITITIAS damnandi cauſa Gallice ſcriptum, * PARISIIS nuper edidit Medicus quidam HIBERNICO-GALLICUS. Hunc equidem Auctorem, qui plurima de Rebus ANGLICIS, quæ falſa eſſe ſcire et potuit et debuit, temere effutiit, minime dignum (utcunque titulis inſignitum medicis †) cenſere poſſumus qui a Nobis reprehendatur. Cum vero FACULTAS MEDICA PARISIENSIS Opuſculum ejus futiliſſimum ampliſſimis verbis approbare, adeoque id pro ſuo agnoſcere non dedignata fuerit, Nos, qui ingenio non ſumus adeo inhumano, ut Nationem eruditam in re tanti momenti falſis Narratiunculis, tanta auctoritate editis, decipi patiamur, nonnullas earum hic loci refutare non gravabimur : Cætera ejus libelli falſa et inepta aliis, quibus otium et voluntas non deſint, animadvertenda relinquemus.

In Diſſertationis ſuæ P. 4ta aſſerit D^nus^ DOCTOR " ſe AGA-
" THOPOLI vidiſſe nobiliſſimum LINDECOLINÆ COMITEM, cu-

* DISSERTATION SUR INOCULATION PAR M. CANTWEL † DOCTEUR REGENT DE LA FACULTE DE MEDICINE EN L'UNIVERSITE DE PARIS, ANCIEN PROFESSEUR DE CHIRURGIE LATINE, ET PROFESSEUR DES ECOLES DE MEDICINE.

"jus Frater natu maximus VARIOLIS perierat INSITITIIS "et COMITEM ipſum ab hoc artificioſo VARIOLARUM genere "in CACHEXIAM, qua tunc temporis laborabat, conjectum "eſſe." Narravitne D^no^ DOCTORI hoſce funeſtos VARIOLARUM INSITITIARUM exitus COMES illuſtriſſimus ipſe? Etſi Auctoris verba Lectorem ingenuum ut ita credat facile adducere poſſunt, minime tamen ita credendum eſſe affirmamus. COMES enim ipſe digniſſimus, pro inſigni ſuo Veritatis tuendæ ſtudio, veniam Nobis concedere dignatus eſt ſuo Nomine palam declarandi, omnia, quæ de eo et Fratre ejus retulit Hic Auctor HIBERNICO-GALLICUS, eſſe falſiſſima. COMITIS honoratiſſimi Frater, qui eo tempore, quo VARIOLÆ ei inſerebantur, tenui erat valetudine, per quinquennium integrum, poſtquam mitiſſimas INSITITIAS expertus erat, multo firmiore utebatur: Poſtea vero neglecta tuſſicula, qua forte corripiebatur, in PHTHISIN incidebat.

Neque minus falſum eſt quod de CACHEXIÆ, qua poſt VARIOLAS INSITITIAS COMITEM ipſum laboraſſe ait, origine affirmat. Nam VARIOLAS NATURALES paſſus fuit COMES LINDECOLINÆ; atque INSITITIAS nunquam ſubiit. Hæc, annuente COMITE honoratiſſimo, palam aſſerimus: Qui de VARIOLIS INSITITIIS quid ſentiat, ex eo judicet Lector æquus, quod Liberis ſuis hoc ipſo anno VARIOLAS inſeri juſſerit; quos Amicum meum doctiſſimum D^num^ WILMOT, Medicum Regium Ordinarium, curaviſſe novimus; D^no^ HAWKINS Chirurgo Regio digniſſimo Partes ſuas peragente.

In eadem Pagina COMITIS alterius nobiliſſimi (ſc. de INCHIQUIN) Filium unicum has VARIOLAS pernicioſas artificiales perdidiſſe aſſerit Auctor humanus; atque quaſi Mors ipſa Juvenis egregii non ſatis atrox fuiſſet malum, oratione grandiore hanc acerbam rem exaggerat; quantaſque opes infelix

Puer

Puer moriendo amiserit Nobis referre non gravatus est. Narratiunculam hanc, ut opinamur, ab aliquo ex iis, quorum potius linguis quam suis oculis credere malle videtur *, accepit Auctor candidus. Sit ita quidem : attamen falsum est quod asseruit : VARIOLAS INSITITIAS nunquam subiit Puer nobilis : De cujus rei veritate Vir amicissimus Dominus DOCTOR WILMOT Nobis est Testis clarissimus, qui duobus aliis celeberrimis, quos præter eum ad Puerum moribundum convocabant Parentes ejus perillustres, Medicis est superstes.

Quid vero si aliam Fabulam non minus falsam divulgaverit Vir imprudens ? Quid dices, Lector benevole, si in Pag. 6ta " VARIOLAS INSITITIAS jamdiu in ANGLIA damnatas esse, " et primarios BRITANNIÆ Medicos, depositis suis de VARIO- " LIS istiusmodi præjudicatis opinionibus, in illas jamdudum " invehi cœpisse, tanquam res apud omnes pervulgatas, asse- " ruerit ?" Quis Viro credulo hanc confecit Fabulam ? quæ tam longe a Veritate abest, ut ne unum quidem e PRIMARIIS BRITANNIÆ MEDICIS sciam, qui non eas nunc commendet, atque in iis curandis non creberrime versetur. Hoc verum esse sciunt nonnulli illustriores CATHOLICI, qui liberos suos ut VARIOLÆ iis insererentur, Medicorum PRIMARIORUM BRITANNICORUM fidei mandare aliquando dignati sunt. Sed ut omnem de hac re dubitationem tollamus, SENTENTIAM, quam de VARIOLIS INSITITIIS in COMITIIS suis COLLEGIUM REGALE MEDICORUM LONDINENSE nemine contradicente nuper tulerunt, ex Annalibus COLLEGII exscriptam hic subjungemus.

QUONIAM COLLEGIO NUNTIATUM FUIT, FALSOS DE VARIOLARUM INSITITIARUM IN ANGLIA SUCCESSU ET EXISTIMATIONE APUD EXTERAS GENTES NUPER EXIISSE RUMORES, EIDEM COLLEGIO SENTENTIAM SUAM DE REBUS HISCE AD HUNC

* Vid. P. 2 et 3.

MODUM DECLARARE PLACUIT: VIDELICET, ARGUMENTA, QUÆ CONTRA HANC VARIOLAS INSERENDI CONSUETUDINEM IN PRINCIPIO AFFEREBANTUR, EXPERIENTIAM REFELLISSE; EAMQUE HOC TEMPORE MAJORI IN HONORE APUD ANGLOS HABERI, MAGISQUE QUAM UNQUAM ANTEA INTER EOS NUNC INVALESCERE; ATQUE HUMANO GENERI VALDE SALUTAREM ESSE SE EXISTIMARE.

Neque animadverſione minus gravi dignum eſt, quod in P. 38va de COMITIS de BLESSINGTON Filio natu maximo retulit Vir incautus. Namque in iſto loco, quo probare ſtudet VARIOLAS NATURALES interdum INSITITIAS ſecutas eſſe, ad hanc opinionem confirmandam RUMOREM citat de hoc Puero nobili, NATURALIBUS haud ita pridem extincto, quem, teſte D^{no} DOCTORE, INSITITIAS in ANGLIA antea ſubiiſſe vulgaverat Fama; pro cujus tamen RUMORIS veritate ſpondere minime audet. Cur igitur RUMOREM, cujus falſitatem facile noſſe potuit, in opinionis ſuæ teſtimonium adducit, niſi ut ex ejus mentione occaſionem arripiat innuendi Medicum, qui Juveni VARIOLIS NATURALIBUS laboranti adfuerat, hoc de VARIOLIS INSITITIIS factum ſcientem diſſimulaſſe? cujuſmodi diſſimulationem bono Cive prorſus indignam eſſe inquit Vir ſincerus. Nec immerito; at certe non tam indignam, quam ut infamiam alicui inuras operam dare ſimulando eam ab illo avertere. Sed ad rem redeamus. Hæc, de COMITIS de BLESSINGTON Filio, VARIOLIS INSITITIIS in ANGLIA affecto, tota Fabula eſt falſiſſima; quas ſi expertus erat, nondum fortaſſe ad plures migraſſet: NATURALIBUS ſaltem (quo fato eum interiiſſe non fateri nequit D^{nus} DOCTOR ipſe) non ſuccubuiſſet.

Poſt primam harum Notarum Editionem de aſperitate, qua temeritatem ejus (ne quid dicamus aſperius) reprehenderamus, valde querebatur Medicus Hic HIBERNICO-GALLICUS. Cum

Cum vero in libello quodam ſuo de hac re dudum ſcripto ne verbum quidem, quod Dicta noſtra redarguere poſſit, emittere dignatus fuerit, id tantum querendo eum feciſſe judicabit *Lector æquus* ut quam inique queſtus fuerit palam omnibus oſtenderit! Verum enimvero non modo Dicta noſtra non redarguit Medicus iſte, ſed plura quoque de infelici VARIOLARUM INSITITIARUM ſucceſſu Veritati prorſus contraria in Libello ſupra memorato affirmare perſtitit; quorum Nos aliquot, nulla alia præterquam Humanitatis et Veritatis ſtudio, ratione adductos refutare non pigebit.

Poſtquam plurimos ANGLOS, quorum neque nomina neque habitationes declarare ſibi placuit, contra VARIOLARUM INSITIONEM Teſtes citaverat D° C. nonnullos e fæce *Romuli* in ſcenam inducere non dedignatus fuit; quorum vociferationes contra VARIOLAS inſerendi morem argumenta ei miniſtrarunt. In P. 26. igitur ad hunc modum ſcribit. "In "oppido dicto NEWBERRY in comitatu EBORACENSI ſito, po-"pulis frequenti, VARIOLÆ INSITITIÆ ſub initio innoxiæ "eſſe videbantur; ſed *naturales* INSITITIAS ſtatim ſubſe-"quentes adeo erant exitiales ut omnes Incolæ, MEDICO-"RUM, CHIRURGORUM et PHARMACOPOLARUM omnium, qui "in *Variolis inſerendis* occupati fuerant, Domos everſuri in-"ſurexerint; cujus tumultus compeſcendi cauſa Præfectus op-"pidi mulctam quinquaginta librarum imponere cogebatur "in omnes MEDICOS &c. qui eas alicui poſtea inſererent." Ex hac narratiuncula judicet *Lector candidus* quam caute huic Scriptori credendum ſit, qui in Factis, ad Hominum ſalutem ſpectantibus, aſſerendis tam negligenter egit, ut oppidum quod in Agro EBORACENSI hic ponit, nuſquam ibi inveniatur. Nullum ejus nominis in ea Provincia extat. Oppidum ſane NEWBERRY dictum, in regione ab EBORACENSI longe remota, in comitatu ſc. de BERKS ſitum eſt. Si in argu-

mentis

mentis hujus futiliſſimi Auctoris refellendis tempus conſumere operæ pretium eſſet, omnino incredibile eſt quam crebras hujus irridendi occaſiones ſuppeditaret hic Libellus! Ludo autem hujuſmodi non vacamus. Liceat vero unum atque alterum oſcitantiæ ejus exemplum proferre atque in hoc loco animadvertere quam iniquo animo hanc rem tractaturus ſit iſtiuſmodi Scriptor, qui LISTERO, Auctori minime accurato, temere affirmanti vix unum e quadraginta inter Populum VARIOLAS *naturales* perdere ſolere, quam exquiſitis JURINI de hac re rationibus, (quas tamen ipſe ſe legiſſe fatetur et confutare nequit) aſſentiri maluit?

P. 27. "Medicum LONDINI *bene notum* ſibi animadvertiſſe "ait HIBERNICO-GALLICUS Variolas INSITITIAS plures oc-"cidere quam ſervare ſolere. Itane vero doctiſſime DOCTOR?" Ecquo in angulo LONDINI latet Medicus hicce *bene notus?* Nemo enim certe medicorum, qui foras prodit, tam falſum tam ineptum affirmare unquam audebit. Siquis hoc de nece, quam Variolæ INSITITIÆ ipſæ inferre ſolent, aſſerere velit, nemo LONDINI habitat qui hunc toto cœlo a veritate aberrare neſciat. Si vero hoc ſenſu, quæ affirmat, intelligi, velit hicce *bene notus*, Variolas ſc. INSITITIAS *Contagionem* ſpargendo plures occidere quam medicando ſanare, nihil certe ad INSITITIAS damnandas unquam excogitatum fuit ineptius. Quid enim INSITITIAS Mortalium gratiæ æque commendare poteſt, atque horribilis, quam NATURALES edere ſolent, ſtrages? et quonam, obſecramus, modo iſtiuſmodi ſtrages præcaveri poteſt niſi variolas inſerendo? Cur autem medici BENE NOTI nomen proferre nolit D^s C? Si Variolarum INSITITIARUM Patroni nomina ſua celare non cupiunt, quidni earum oppugnatores proferrent ſua? Utrum metuunt ne Dicta iſtiuſmodi temere jactando ſanctum Veritatis jus forte violaverint? An Veritatem, pro qua Arma ſe ſumſiſſe profitentur, non audent

dent defendere? Utrum horum ſit viderint iſti BENE NOTI? Nos enim ad alia HIBERNICO-GALLICI Dicta nunc feſtinamus.

P. 28. In hac Pagina ad hunc modum ſcribit D^s C. " *Epi-* " *demicas (Variolas* eum intelligi velle arbitramur) atroces quæ " BOSTONIÆ, HERTFORDIÆ, et LONDINI graſſabantur eodem " anno, quo Variolis laborabat SERENISSIMUS DELPHINUS, ab " INSITITIIS propagatas eſſe nemo non fatetur." Miramur profecto D^num D^rem eodem tempore non affirmaſſe SERENISSIMUM DELPHINUM ipſum morbum ſuum ab INSITITIIS contraxiſſe, cum iſtud pari jure affirmare potuiſſet. Nam quod hic *neminem non fateri* ait Natura rerum ipſa fateri non ſinit. Ut id, quod verum eſt, verbo dicamus; VARIOLÆ in hac immenſa LONDINI Urbe per totum annum, annoſque ſingulos, nunquam non vagantur, nunc autem tardius nunc celerius, modo mitius modo ſævius, pro ratione tempeſtatum, aliarumque, quibus *Contagium* propagari ſolet, rerum inſurgunt et dominantur: Atque ad hunc modum ſeſe ſemper habuiſſe *Variolas* tam ante quam poſt INSITITIARUM in ANGLIAM introitum omnes Nos medici ſcimus, neque aliquis, niſi Veritatis non ſtudioſus, aliud aſſeverabit.

P. 34. " Neque (ait HIBERNICO-GALLICUS) pro com-" perto habeatur Urbem LONDINUM aliquid commodi, ad " Incolarum numerum quod attinet, a VARIOLIS INSITITIIS " accepiſſe. Ecce enim argumentum quo eam nihil ejuſ-" modi accepiſſe probari poſſit! " D^s D. (ait ille) in *ten-* " *tamine* ſuo de probabili Vitæ humanæ termino affirmat " 17600 Infantes LONDINI communibus annis baptizatos fuiſſe " ab anno 1720 ad annum 1746, atque per tot annos non " pauciores quam 26800 communibus annis mortuos eſſe: " adeo ut intra 26 annos 239200 plures quam nati fuerint

" in hac Urbe perierint; et ex consequenti (si eos excipias, " qui interea temporis huc aliunde commigraverint, qui, si " 6000 singulis annis accedere demus, intra annos 26 non " amplius 156000 æstimabuntur) 83200 pauciores Incolæ " nunc quam annon 1720 in hac Urbe extent." Hunc vero computatorem interrogare liceat. Nonne *mortuorum* numerus *natorum* numerum omnibus annis tam ante quam post VARIOLARUM INSITIONEM semper excessit? * Nonne ingens Infantum numerus ante annum ætatis tertium VARIOLIS expertes moriuntur? Nonne longe plures ante eundem ætatis suæ annum quam post eum mortem obeunt? Nonne alii quamplurimi morbi *Epidemii* immensam in hac immensa Urbe stragem edere solent? Nonne plurimi *Endemii* inter infimam plebem grassantur? Quot Homines liquorum spirituosorum usus inter hos 26 annos perdidit? Nonne *mortuorum* numerus ab anno 1724 (ex quo sc. lethalis hos liquores bibendi invalescere cœpit consuetudo) ad annum 1750 *natorum* numerum quotannis *valde* excessit? † Hunccine vero excessum *Variolarum* potius INSITIONI quam venenosis hisce liquoribus, quod eodem circiter tempore, quo hi, in usum venerit, ascribet HIBERNICO-GALLICUS? Quid denique refert utrum pauciores nunc sint LONDINI Incolæ quam olim, nisi quot sint pauciores tot quidem occidisse VARIOLAS INSITITIAS demonstrare potuerit Auctor GALLICUS? quod nunquam facere poterit donec celeberrimum JURINUM in calculis hujusmodi ponendis hallucinatum esse probaverit. Auctorem eundem (D^num sc. *Desparcieux)* narrat D^s C. affirmasse 20000 circiter homines communibus annis LUTETIÆ PARISIORUM mortuos esse, ad quem numerum baptizatos plerumque assurgere; unde fit ut 2400 Infantes communibus annis plures LUTETIÆ PA-

* Vid. *A Collection of the Yearly Bills of Mortality from* 1657 *to* 1758. London 1759. ubi constat *mortuorum* numerum singulis annis per totum seculum *natorum* numerum valde excessisse.

† *Ibid.* Pag. 115.

RISIORUM quam LONDINI nati ſint et 6800 plures in hac Urbe quam in illa communibus annis moriantur. Eſto ſane. Nonne vero hæc inter *natos mortuoſque* utriuſque Urbis differentia *politicis* potius quam *naturalibus* cauſis ſit aſcribenda? Et ſi *mortui natorum* numerum per *ſexaginta* annos ante INSITIONIS *æram* ſemper exceſſere, eundem nuperis hiſce annis *exceſſum* INSITIONI quo fronte quiſquam exprobraverit?

Quid plura? Hanc artificioſam VARIOLOS ſubeundi viam omnes Nos ANGLI, a Plebe ad Principes, nunc approbamus; eamque omnes, quotquot medendo exercemur, HUMANO GENERI conſervando maxime accommodatum eſſe jamdiu perſuaſi ſumus. Hanc itaque non modo quotidie perſequimur, ſed eam quoque, pro humanitate noſtra, Nationibus exteris commendatam habere volumus. Si quæ autem ſive Superſtitione ita occæcantur, ut tantam, a Cœlo oblatam, ſalutem aſpicere nequeant, ſive a Novitate omni qualicunque ita ſunt averſæ, ut eam accipere nolint, Nos cum Poeta celeberrimo vovere non dubitabimus.

DI meliora PIIS, Erroremque HOSTIBUS illum!

FINIS.

ERRATA.

P. 20. l. 21. *pro* Quoſque *lege* Quouſque. P. 29. l. 21. *pro* Artes *lege* Artis. P. 66. l. 2. *pro* 1705 *lege* 1713.

ROBERTI TAYLORI

MEDICI REGII ORDINARII

AD

Ornatiſſimum Virum

Dominum EDOARDUM WILMOT Baronettum

MEDICUM REGIUM ORDINARIUM

EPISTOLA CRITICA

In qua

QUATUOR QUÆSTIONIBUS ad VARIOLAS INSITIVAS ſpectantibus, Orbi Medico denuo propoſitis ab ANTONIO DE HAEN, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSIL. AULICO, MED. PRACT. in alma et antiquiſſima UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE PRIMARIO, DIRECTE Reſponſum eſt.

AD

Dominum Edoardum Wilmot Baronettum

EPISTOLA CRITICA.

Cum nuper inter Medicos quofdam exteros, Vir doctiffime, de variolis insitivis lis exorta fuerit; laudefque, quas, in oratione mea Harveiana, iis impertiveram, controverfia ifta memet implicare videantur; tantillum otii, quod mihi fuppetit, in opinione mea, publici juris facta, defendenda conterere meum effe exiftimavi. Quoniam vero in Quæftione hujufmodi decernenda maximum ponderis habere debent Experientia et affidua de rebus hifce cogitandi confuetudo, fine, obfecro, Vir ornatiffime, ut Te in hac lite æftimanda appellem. Quem enim hujus Rei Judicem magis idoneum eligere poffim quam Te, non modo candore, fed Doctrina et medendi quoque ufu jamdiu celeberrimum? Sed ut id, quod verum eft fatear; non fola mea Veritatis ftabiliendæ follicitudo, me ut Refponfum hoc meum tibi dicem dedicemque impulit: Aliud enim præterea, idque gratiffimum, mihi in animo fuit; hanc fcilicet occafionem palam declarandi, quantis tibi obftringar beneficiis, quantaque Te obfervantia, tam Amicum, quam Medicum, colam, præmittere nolui! Sed ad rem, tuis laudibus tibi longe gratiorem, nempe Veritatis inveftigationem, accedamus.

Dum in Notis orationis meæ Harveianæ augendis occupatus fui mihi incidit in manus Libellus quidam, a Germano professore celeberrimo, variolarum insitionem op-

 pugnandi

pugnandi causa, latine scriptus *; cui respondendi hanc occasionem amittere nolo. Argumenta vero Viri egregii omnia tam plena sunt futilitatis, ut Virum doctum, medicis scriptis clarum, talibus usum esse non mirari, imo non indignari, nequeam. Ne hoc temere dictum videatur QUATUOR QUÆSTIONIBUS, quas orbi medico proposuit Vir eruditus, et ad quas DIRECTA eruditorum Responsa adhuc desiderari ait, DIRECTE respondebo; posthabitis scilicet iis quæ nihil ad rem attinentia haud parca manu ingessit scriptor verbosus; idque eo lubentius suscipio, quod pollicitus est Vir candidus SE *simul atque* QUÆSTIONIBUS *suis* DIRECTE *fuerit satisfactum* INSITIONEM *Doctrina demum promoturum, adhortamento, Exemplo:* † Etsi jure metuendum esse fateor ut ei satisfaciam, cui argumenta optima, quæ INDIRECTA appellat, nondum satisfecere.

PRIMA PROFESSORIS doctissimi QUÆSTIO sic sese habet.

Q. I. UTRUM INSITIVA METHODUS PER DEUM LICITA?

Huic QUÆSTIONI respondebo Propositiones ponendo sequentes.

PROP. I. Vitæ et Sanitati nostræ omnibus modis *licitis* consulere nos vult DEUS.

II. Omnes modi sunt *liciti* quos non *vetuit* DEUS.

III. Nullos *vetuit* DEUS qui neque *aliis* neque *Nobis ipsis* nocent.

* Vid. Tractat. anno 1757 Vindobon. ed. cui titulus est *Quæstiones sæpius motæ super methodo inoculandi variolas propositæ ab* ANTONIO DE HAEN.

† Pag. 9.

IV. Qui

IV. Qui *Variolas* ea cautione ſibi inſerit ut aliis contagionem non det *aliis* non nocet *.

V. Qui *Variolas* ſibi inſerit adeo SIBI IPSI non nocet ut Vitæ et Sanitati ſuæ melius conſulat, quam ſi *Variolas* ſibi non inſeruerat; quod ex PROPOSITIONE PRIMA nos facere vult DEUS.

Huc ergo tandem tota hæc QUÆSTIO recidit. Annon quemque oportet *ſibi* aut *ſuis* certiſſimam, quam poteſt aſſequi Humana Natura, Vitæ ſuæ et Sanitatis tuendæ rationem præbere? Nam omnia, quæ de jure in propriam vitam ſive *auferendam* ſive *abbreviandam* ad nauſeam uſque repetit Medicus hic διαλεκτικώτατος, meræ ſunt Nugæ. Quoniam qui Variolas ſibi inſerit, vitam ſuam aut *auferre* aut *abbreviare* adeo non cupit, ut ejus conſervandæ et prolongandæ cauſa eas inſeri faciat: et ſi Homini veſicam ſuam, calculi in ea ſiti, (qui neque CITO neque CERTO, ut affirmat doctiſſimus *Profeſſor* †, eum occidet ‡, ſed per longam annorum ſeriem cruciare poſſit) eximendi cauſa ſecare licet, luce meridiana clarius eſt Homini VARIOLARUM Peſtem, quæ ab incunabilis quotidie ei impendet, vincendi cauſa VARIOLAS ſibi inferre etiam licere. Hoc igitur unum inquirendum reſtat, utrum qui VARIOLAS ſibi inſerit melius vitæ et ſanitati ſuæ conſulat, quam qui morbum a Natura ex-

* Optandum ſane eſt in omnibus magnis urbibus ut locus ſatis amplus, VARIOLIS INSERENDIS deſtinatus, ab urbe ſepoſitus eligeretur. Cum vero nihil ejuſmodi uſquam gentium adhuc lege ſancitum fuerit, oportet unum quemque ita ſibi cavere ut contagium potius ab INSITIONE quam a NATURA contrahat. Valde enim Reipublicæ intereſt ut commodum publicum (quod in rebus aliis quamplurimis quotidie fit) privato anteponatur.

† Pag. 20.

‡ Veſicæ *calculus* non tam *certo* occidit Hominem quam *Variolæ* illum corripiunt; aliquot enim *Veſicæ calculo* multos annos laborantes morbis longe diverſis mortem ſuam acceptam retulere; *pauciſſimi* vero a *Variolis* immunes totam vitam, imo ne exiguam quidem ejus partem tranſegere.

pectat; cui Quæstioni optime respondebo examinando doctissimi PROFESSORIS QUÆSTIONEM secundam, ad quam nunc propero.

Q. II. UTRUM INSITIVA METHODUS PLURES QUAM VIA NATURALIS IN VITA SERVATURA SIT?

Quid hujusmodi Quæstionem decernere potest nisi fida FACTORUM enarratio? Quid nisi calculus utrinque positus? Ex accuratissima hujus rei investigatione, quam fecit clarissimus JURINUS ὁ μακαρίτης, unum e *sex* morbum naturalem passis et unum e *sexaginta*, qui morbum ex INSITIONE contraxerant, tunc temporis periisse constat. At e calculis recentius positis (ex quo scilicet *methodus insitiva* longe lateque apud populum sparsa fuit, numeroque INSITIONEM subeuntium valde aucto ad veritatem propius accedere potuimus) *unum* tantum e 425 perire abunde patet *. Si calculis hisce confidere nefas est, cur falsi eos non redarguit GERMANUS PROFESSOR? Sin vero computatio hujusmodi refutari nequit, cur eam non admittet Vir candidus? In alio quidem libello a PROFESSORE docto dudum *Gallice* scripto †, (quem nondum mihi videre contigerat, cum Epistolam hanc editurus eram) JURINI computandi rationem mancam vocare placuit Auctori erudito; nullam vero causam cur manca sit assignare dignatus est, præterquam quod LISTERI nostratis rationibus non congruit. Quisnam BRITANNUS a risu temperet qui BATAVUM audierit LISTERUM JURINO anteponentem? Virum, JURINO, in rebus tum medicis tum philosophicis æstimatori accuratissimo, minime comparandum. At DOMINUS CANTWELL Doctissimi PROFESSORIS in hac causa Adjutor atque Socius LISTERI quam

* Vid. Inoculationis Analysin a Dno KIRKPATRICK scriptam P. 115.
† Refutation de l'Inoculation a *Vienne* en Autriche MDCCLIX.

3 JURINI

JURINI Dictis confidere maluit; ideoque Adjutoris sui partes sequi PROFESSOREM proculdubio decuit.

Sed negat celeberrimus PROFESSOR *Variolas* inseri posse nisi et eodem tempore late spargatur *Contagio*. Quid si hoc concedam? Nonne *Variolæ* NATURALES, (quarum utpote plerumque magis malignarum *contagio* non modo multo violentior est INSITITIARUM *contagione*, sed grassantibus *Epidemiis* per aerem undique disseminatur,) latius adhuc spargentur? Si igitur Calculum a viro docto positum admittam? NOVEM, sc. Homines a singulis INSITIONEM subeuntibus NATURALIBUS infici, nonne QUINDECIM (etenim mihi etiam huic rei nunc calculos meos ponere liceat) nonne QUINDECIM, inquam, vi Contagionis multo *majori* longe lateque disseminatæ, inficientur? Non enim *oportet* modo sed etiam necesse est ad NATURALIBUS laborantes (ut verbis Viri ipsius docti utar) *accedere* MEDICUM, CHIRURGUM, PHARMACOPOEUM * (et si Regionis Religio ita postulat CONFESSARIUM,) NECESSARIOS, CUSTODES; *qui suscepto vestibus contagio* majori *urbem* magis inquinabunt † quam *Contagium* ab INSITITIIS minus. Et multo major *Contagionis* copia a quamplurimis morbo naturali in multis ejusdem urbis locis laborantibus quam a dimidio INSITIONEM subeuntium numero hinc illinc rarius sparso disseminatur. Nam rarissime, ut bene nosti, observare licet INSITIVARUM Contagionem *quempiam* Variolas nondum passum in eadem domo degentem, sed NATURALIUM virus *omnes* in

* Vocem PHARMACOPOEUM pro PHARMACOPÆO, qua utitur Vir doctus, bona ejus venia, hic substitui; nam etsi neque hanc neque illam vocem agnoscit *Lingua latina*, illam tamen e *Græca in latinam* transferri sinit ANALOGIA, hanc vero non sinit. Menda hujusmodi *Orthographica* ad argumentum non spectantia vix animadvertissem nisi virum doctum in alio quodam suo libello de *Orthographia* adeo sollicitum observassem ut *Diphthongos* duas in textu male exaratas in vocibus *fœmina* et *diæta* sub finem operis corrigendas esse Lectorem monuerit.

† Pag. 45.

eadem domo plerumque inficere. Omnia igitur a PROFESSORE docto ex *Analogia* ducta argumenta, ad ſubtiliorem veneni *varioloſi* in ſanguinem intromiſſi vim probandam, nihil ad rem pertinent *; imo contra eum ipſum pugnat *Analogia*. Sicut enim *Viperæ* oleique *Tabaci* venenum homini non nocet niſi in ſanguinem ſtatim intromittatur, ita quidem venenum varioloſum, etſi in ſanguinem infuſum certius atque citius in corpus humanum vim ſuam exercere deprehenditur, tamen extra corpus in aere poſitum minus ſubtilis eſt ingenii; namque extra corpus vel in cubiculo poſitum circumſtantes multo minus inficere ſolet quam *effluvia* a corpore VARIOLIS laborante perpetuo emiſſa. Hoc (quicquid diſputandi gratia aliter e CATHEDRA pronuntiaverit celeberrimus PROFESSOR) experientia ſatis ampla Nos quibus INSITIO jamdiu valde familiaris fuit, certe docuit; nempe multo plures in Domibus, ubi decumbant VARIOLAS NATURALES paſſi, quam ubi INSITIVIS affecti, contagione corripi. Nunc, (ut eodem modo quo Vir doctus ratiocinemur, qui ponit intra 30 annos 1285714 Homines, quibus receptum ex INSITIVAS VARIOLAS paſſorum MILLIONE Contagium NATURALES intulit, perire) ponamus Nos 30000 in aliqua urbe intra annos 30 INSITIONEM ſubire, et 60000 intra eoſdem annos NATURALES pati; certe enim NATURALES adhuc in pleriſque locis INSITITIAS duplo ad minimum exceſſere. Jam ſi QUINDECIM graſſantibus Variolis, a ſingulis NATURALIBUS laborantibus contagionem recipiunt tum 900000 intra 30 annos contagionem ab iis contrahent, quorum 150000 (pars ſc. *ſexta)* intra eoſdem annos morientur. Si vero non plures quam 9 (computante PROFESSORE docto) contagionem a ſingulis INSITITIAS ſubeuntibus recipiunt, tum intra 30 annos non plures quam 270000 ab iis inficientur, quorum non plures quam 45000 (pars ſc. *ſexta)* morientur; qui ſunt 105000 pauciores, quam qui

* Vid. 58, 59, 60.

conta-

contagione a NATURALIBUS accepta intra idem tempus peribunt. Non refert utrum plures an pauciores hiſce numeris, quos poſui, VARIOLIS intra 30 annos laborent? His enim *demant* ii (ut PROFESSORIS docti verbis iterum utamur) *quibus juſto major hic calculus adparet quantum ex ſuis obſervatis conſtare ſibi putent*, SEMPER MANEBIT VIS ARGUMENTI *. Ex præmiſſis itaque Reſponſum, quod tam vehementer efflagitat Vir egregius, DIRECTUM *Quæſtioni* ſuæ ſecundæ peti poteſt. Ex iis enim reſpondere poſſimus 105000 plures intra 30 annos vel 3500 ſingulis annis in VITA SERVATURAM ESSE METHODUM INSITIVAM quam VIAM NATURALEM: quibus ſi adjicimus omnes, qui INSITIONEM ſubeundo SERVANTUR, ad numerum ſane aſſurgent ii, quos in VITA quotannis SERVATURA SIT METHODUS INSITIVA, ſatis ingentem ad omnium INSITIONIS Hoſtium linguas omnino occludendas.

Q. II. AN CERTO CERTIUS QUIVIS PENE HOMO VARIOLIS, SERIUS OCIUS, AFFICIATUR?

Jocone Vir doctiſſimus hanc Quæſtiunculam ponit an ſerio? Nunquamne igitur in rebus humanis rem geret niſi *certo certius* rem geſturus eſt? Nonne probabilibus contentus erit? ſi non, digniſſimo PROFESSORI non modo a rebus Medicis ſed ab omnibus ad humanam vitam pertinentibus ilico deſiſtendum eſt. Sed res ſeria agitur, et de ea ſerio agamus. Si huic Viro egregio iter facturo duæ eſſent viæ, per quarum alterutram ad finem itineris proficiſcatur neceſſe eſſet; in quarum una, eorum qui inſiſterent, vix unus e MILLI DRACONI lethifero occurrere non poſſet; et eorum, qui occurrerent, unus e *ſex* nunquam non mortem fœdiſſimam obiret: in altera vero via DRACO valde mitioris indolis ſe-

* Pag. 47.

dem

dem haberet, qui vix unum e 425 itinerantibus trucidaret, utram harum viarum eligeret? Velletne viam, in qua DRACO immanior habitaret, quem vix unus e MILLI evadere potuerat, ingredi? Velletne viam, in qua tot itinerantium pereunt, viæ, in qua pauciſſimi opprimuntur, anteferre, quoniam non omnes, non univerſi et ſinguli DRACONEM evadere ſolent? Eadem omnino *de Variolis contrahendis* eſt ratio. Eorum, enim, qui in urbibus cætibuſque Hominum degunt, (et de iis ſolis inſtituitur Quæſtio) vix *unus* e MILLI VARIOLAS evadit, et vix *quinque* e *ſex* eo morbo correptis letho eripiuntur. Sed Hic PRIMARIUS PROFESSOR inter *Varioloſos* adeo feliciter rem gerit, ut vix unus quidem e 220 ipſo medico pereat *. Magnam profecto rem narrat Vir feliciſſimus, teſtibuſque MATRONIS ſuis *nobilibus*, quas de ſe HAGÆ BATAVORUM valedicturo tam honorifica *lacrymabundas* declaraſſe inquit, omnino dignam! At nimis metuere mihi videtur nequis *feliciſſimæ ſuæ* in variis Epidemiis *curæ* et MATRONARUM SUARUM LACRYMABUNDARUM *laudes ſibi auferat* (verbis Viri egregii ipſis iterum uti liceat) nequis illarum *honorem ſibi eripiat* †. Quod ad Nos attinet, *feliciſſimam* ejus in Varioloſis tractandis *curam*, MATRONASQUE ejus adeo ei non invidemus, ut omnes *Varioloſos*, qui MATRONIS tam *nobilibus* quam *ignobilibus* unquam periere medicantibus, illum tractaſſe optemus.

Ita vero *Praxi oneratum* HAGÆ BATAVORUM *ſe fuiſſe* ait, *ut omnium* VARIOLOSORUM, quos tractavit, *Hiſtoriam exacte adornare non potuerit*. An omnes igitur, quos unquam tractavit, VARIOLOSI, excepto uno, mortem evaſere? Si non omnes, cur eorum, qui convaluere, *Hiſtoriam exacte adornare* potuit, illorum vero qui ſuccubuere, Vir candidus

* Pag. 33. † Ibid.

non

non potuit? At nos celeberrimus Hic PROFESSOR, intra quot annos hos 220 tractaverit docere non dignatus est. Hoc certe facere *potuit*, imo, et, (verbo sit venia) *debuit*. Fieri itaque potest, ut hi 220 diversis suæ HAGÆ BATAVORUM commorationis temporibus, vel, ut ipse loquitur, in VARIIS EPIDEMIIS tractati fuerint, et ut neminem alium præter hos 220 toto illo tempore servaverit. *Fieri*, inquam, *potest*, non ita fuisse contendimus. Cum enim in iis solis, qui evasere, recensendis operam suam navaverit; cum tantam in tanta re negligentiam ostenderit, de cæterorum, quos silentio præteriit, fato conjectare solummodo possumus. Et si conjectare licet (quod, donec quomodo hæc res sese habuerit nos certiores fecerit, certe licet) cæteros omnes ad plures migrasse forsan conjectabimus. Quæ cum ita sint, nulla ei causa est, cur de sua in VARIOLIS curandis fama tantopere jactet, neque cur MEDICORUM Invidiam ita pertimescat. Veruntamen *quinque* ex his 220 periisse tandem fatetur, qui sive ob hanc, sive ob illam causam tam desperati fuerunt, ut eos servare non potuerit. Itane vero? Quamobrem autem, obsecro, ulli VARIOLOSI pereunt? Nonne ideo, quod ita desperati sint, ut medicus eos servare nequeat? Sed ne hunc quidem unum, judice PROFESSORE celeberrimo, perdidere VARIOLÆ; nam post biennium (o memoriam viri magni vacillantem!) recordatur hunc ægrum mortem suam sive *secundæ contagioni*, sive errori cuidam fatali, in quem clam medicum suum incidere posset, et non morbo ipsi debuisse. * Si nihil ejusmodi contigisset, cæterisque QUATUOR nihil humanitus accidisset, OMNES, quos tractaverat celeberrimus PROFESSOR, scilicet 220 salvi evasissent. Qualem, Dii boni! PROFESSOREM!

At INSITIONIS Patroni, inquiet, ita argumentantur. Desinant ergo ita argumentari: Argumentis enim istiusmodi

* Vid. Refutation de l'Inocul. Pag. 127, 128.

bona

bona causa non indiget. Ita quidem periculo plerumque vacat VARIOLARUM INSITIO, ut plurimi in iis inserendis nimium incauti fiant; qui, nulla sive ætatis sive sanitatis ratione habita, liberos suos PHARMACOPOLIS et CHIRURGIS inferioris ordinis committendo saluti eorum parum consulunt; unde fit, ut aliqui, quibus inseruntur VARIOLÆ, morti succumbant; qui, si in omnibus ad hanc rem spectantibus Medici cujuslibet prudentis præceptis obtemperaverant, salvi evasissent; sed vel omnibus his, qui propter suorum temeritatem vel aliam quamcunque causam pereunt, subductis, eorum, quos in VITA servat INSITIO, numerus adhuc erit satis ingens ad INSITIONIS Hostes coram Judicibus æquis refutandos. Vide autem, Vir dignissime, cum INSITIONIS Patronis quam inique agit Hic celeberrimus PROFESSOR? Suam de UNO *e ducentis et viginti* VARIOLOSIS mortuo narratiunculam illos vult credere; illorum vero de *millibus*, qui per INSITIONEM mortem evasere, Historias credere non vult. *Quamobrem* interrogo? quoniam, respondet, *plura vidit, evidentiora expertus est, quam comparationem eorum* NATURALES *inter et* INSITIVAS VARIOLAS *admitteret* *. Vix autem credibile est quam inepte et inique opinionem eorum, qui *Variolas* RECIDIVAS esse negant, in libello suo *Gallice* scripto oppugnet? Ibi enim eos, qui ante INSITIONIS æram vixerunt, *ideo* VARIOLAS RECIDIVAS esse negare affirmat, quod ARABUM Scholas, in quibus nutriti erant, veneratione cœca prosecuti fuere; et eos, *qui post* INSITIONIS æram eandem tuentur opinionem, *ideo* tueri, ait, quod animi sui præoccupati fuere †. Quid autem ARABUM ipsorum, a quibus primam accuratissimam hujus morbi Historiam accepimus, animos præoccupare potuerit? Quid BRITANNORUM, qui spe lucri ad doctissimi PROFESSORIS opinionem jamdiu allecti sunt, in contraria sententia tam diu

* Pag. 35. † Pag. 23.

tenue-

tenuerit? Hi, quotquot INSITIONI patrocinantur, (et hi ſunt *tantum non* omnes) contra opinionem ſibi valde lucroſam argumentantur. Quidnam nos niſi VERITATIS AMOR in partes nobis adeo inimicas trahere potuerit?

——*Non* HOSTEM *inimicaque caſtra*——
——NOSTRAS SPES *urimus*——

Velitne DENSUM ſuum contra pugnantium AGMEN, quod in primo ſuo opere ſe prolaturum pollicitus eſt, et quod in noviſſimo ſuo uſque ad Auctores 26 protulit, totis hiſce ARABUM et BRITANNORUM Gentibus opponere?

Ubi vero ſunt hi MULTI, de quibus TRILLERUM loquentem in P. 25, et 26, inducit, *Scriptores* ANGLI, *qui* VARIOLAS *aliquando* RECIDIVAS *eſſe probarunt?* Nemo certe iſtiuſmodi hominum apud Nos in Arte multum exercitatus fuit; neque quiſquam eorum nunc in ANGLIA reperiri poteſt niſi inter DOMINI CANTWELL medicos BENE NOTOS. Neque minus inique agit Hic celeberrimus PROFESSOR dum comparationem inter NATURALES et INSITIVAS facit, quippe qui longe optimum *illarum* cum communi *harum* ſucceſſu confert. Sed VERITAS et JUSTITIA manifeſto poſtulant, ut communem *illarum* cum communi *harum* ſucceſſu comparet; quod ſi unquam faciet, numerus eorum, quos ſingulis annis in VITA SERVATURA SIT METHODUS INSITIVA ſatis ingens erit ad omnium ejus Hoſtium argumenta evertenda.

Quoties autem Vir doctiſſimus in VARIOLIS tractandis tam bona fortuna uſus fuit? Et quanam morbi ſpecie laborabant felices illi, qui eo medico tanto agmine evaſere? Si *ἅπαξ* tantum ita fauſtus fuit, quid inde colligi poteſt quod generali, de morbo iſto exitiali, opinioni adverſetur? vel, ſi DISCRETÆ fuere, quas tam fauſte tractavit, VARIOLÆ, audiat,

N obſecro,

obſecro, Vir eximius SYDENHAMUM noſtrum, (imo et ſuum dicere liceat, cum ſolus noſtratium ei placere videatur *) de duabus VARIOLARUM ſpeciebus differentem. *Tam ſibi quam aliis imponunt (ait Sydenhamus †) qui attollunt criſtas quoties eos ſanaverint quibus* exanthemata numero pauca eaque interſtincta exfloreſcebant. *Si tentare libeant quantum in Arte valeant*, in VARIOLIS CONFLUENTIBUS *vires experiantur*; *maxime quoties vel ætate florentes*, *vel eos*, *qui immodica Vini ingurgitatione nimium incaluerint hic morbus invaſerit: Ne in* levioribus *exercitati ita toto cœlo aberrent*, *ut ſe eos* ſervaſſe *exiſtiment quos ipſi adſtantes non* occiderint. Ego quidem in hac ingenti urbe, omnium EUROPÆ *Varioloſis* fortaſſe confertiſſima, ſemel intra annos 13 proxime elapſos, (anno ſc. 1752) ita fauſtus in tractandis *Variolis* fui, ut non plures quam unum e 30 amiſerim; nunquam vero iterum me tam bonis avibus res hujuſmodi geſturum eſſe ſperare auſim. Quapropter mihi etiam MATRONÆ quædam *nobiles*, (ſi quid ponderis in hac re MATRONARUM opiniones habere debent) non LACRYMABUNDÆ quidem, ſed, quod magis optandum eſt, GRATULABUNDÆ non defuere.

Nemo medicorum neſcit VARIOLAS in omnibus regionibus nunc mitiores nunc ſæviores inter populum graſſari; in hac vero noſtra omnes Nos BRITANNI ſcimus nunquam eas adeo mites fieri, ut non longe plures ex INSITIVIS quam ex NATURALIBUS convaleſcant. Etſi plerique noſtrum, imo, fere omnes SYDENHAMI veſtigiis jamdiu inſtitimus, tam miranda tamen virtute Nos præditos

* In opere ſuo, quod nuncupat *Theſes ſiſtentes Febrium Diviſiones*, noſtrates duos eruditos ſc. Doctores HUXHAM et PRINGLE immerito reprehendere auſus fuit *Dominus* PROFESSOR; *Illum*, quod in Febre *Miliari Petechiis* notata, (cujus indolem penitus perſpexiſſe D^no^ PROFESSORI vix poſſibile eſt, utpote qui eam in *Anglia* nunquam tractaverat) *Hunc*, quod in Febre *Petechiali Carcerali* a Febre *miliari* toto cœlo diſcrepanti, (quam tamen ejuſdem eſſe ſpeciei, ſatis pro imperio, decrevit Ipſe) eandem, quam ipſe in *miliari*, medendi rationem non inſtituerint.

† Pag. 382. oper. Syd. L. Bat. edit. 1726.

eſſe

esse vix credis, Vir ornatissime, ut 219 e 220 plerumque nobis servati sint. Tam miranda, inquam, virtute; mirandum enim omnino nobis videtur tot tam bonæ corporum Indolis, tam illibatæ cætera sanitatis, (plurimum etenim auxilii, ut bene nosti, tum bona corporis Indoles, tum illibata sanitas nobis in morbis curandis præstare solent) eodem tempore VARIOLOSOS PROFESSORI docto incidisse, ut ne *duos* quidem, seipso judice, e *ducentis et viginti* morbus perdiderit. SYDENHAMUS profecto ipse, etsi in hoc morbo curando fuerit felicissimus, de sua tamen medendi felicitate non tam confidenter loquitur quam de sua Hic BATAVUS; Namque in uno operum suorum loco affirmat VARIOLAS CONFLUENTES annorum 1674, 1675, PESTEM *ipsam, pro numero scilicet ægrorum*, PERNICIE *æquasse* *. Atque in alio *pronuntiare audet Illius famam, qui in medicando hoc morbo frequenter se exercet, in angusto versari* †. Quid nunc, de Præceptis SYDENHAMIANIS, ad hunc morbum spectantibus, quorum plerosque Medicos prorsus immemores esse suspicatur, existimabit celeberrimus Hic PROFESSOR? Nonne SYDENHAMUS ipse obtemperavit *suis?* Quali aliquando successu ex verbis ejus modo citatis judicare licet.

Attamen locum e SYDENHAMI operibus affert Vir doctus ‡, quo probare satagit Virum dignissimum longe aliter de VARIOLIS sensisse quam verba jam citata eum sensisse demonstrant. Verba sunt hujusmodi, *Ex dictis facile erit vulgare illud* Problema *solvere, Qui fiat ut* PERPAUCI *adeo e* Plebe *hoc morbo pereant* si ad EOS COMPARENTUR *qui inter* Divites *trucidantur?* Hic *adjectivum* PERPAUCI comparate a SYDENHAMO poni videt Lector æquus: Hoc tamen PROFESSOR DOCTUS *absolute* omnino interpretari audet; quæ sane interpretatio non modo cum textu citato non con-

* Pag. 236. † Pag. 147. ‡ Pag. 68 de la Refutation.

 sistit,

ſiſtit, ſed multis etiam aliis operum ejus partibus repugnat. Si enim PERPAUCI e *Plebe*, quos mori *abſolute* affirmat doctiſſimus PROFESSOR, ad EOS referantur PLEBEIOS quos hic morbus eo tempore trucidabat, quo PESTEM *Variolas* pernicie æquaſſe ait SYDENHAMUS, PERMULTI fuiſſe proculdubio conſtabit. Quid, Vir clariſſime, de hoc interpretandi modo ſentis? ingenuumne indicat animum Scriptoris ſenſum ita pervertere? ullamve Triumphi, quem hic affectat, cauſam miniſtrabit hujuſmodi argumentatio? Utrorum denique *frons* tibi inverecundior eſſe videtur? eorumne, qui hunc SYDENHAMI locum contra INSITIONEM non pugnare arbitrantur? an ejus, qui verbi ſenſum omnino pervertit, et FRONTEM INVERECUNDAM iis exprobrat, qui id recte interpretantur? * Atqui, quod ad hunc SYDENHAMI locum ſpectat, aliud eſt animadverſione omnino dignum, nempe, quod hic de PLEBE notavit NOSTRAS digniſſimus, id quidem eum in ea libri ſui parte notaſſe, ubi de VARIOLIS agitur DISCRETIS; Namque ſtatim ſubjungit, *at ſi* confluant Variolæ PERICULOSÆ *plena res aleæ eſt*; *arbitror enim* ego *Genus* hoc *non minus ab* illo altero *diſcrepare quam* ab hoc *ipſa* PESTIS †. Quæ ſane verba non minus ad PLEBEIOS quam ad DIVITES referri ingenuus quiſque, qui ea legerit, facile fatebitur. Tot igitur *Varioloſis* mederi Privilegium videtur eſſe PROFESSORI Huic *ſoli* conceſſum, plurimis noſtri ævi maxime invidendum; poſteriſque (pene dixeram) vix credendum.

Sed eſto ſane quod affirmat veriſſimum. Sit Ille quidem nobis *Anglis* in hoc morbo tractando felicior; nonne vero climatum, locorum, victus denique diverſa ratio, morbos ejuſdem generis, diverſos, quoad periculum, reddere poſſit? Quid de

* Et c'eſt cependant ce meme paſſage qu'ils ont le FRONT de nous objecter. P. 68.

† Vid. Sydenham. opera Lug. Bat. ed. 1726. P. 153.

Con-

Continenti et Infulis *Americanis* fentit Dominus de HAEN? Literas a viro honorabili, mihique amiciffimo, D^no^ BERNARD *Novæ Angliæ* Præfecto nuper accepi, quibus mihi narrat *unum* e *duobus Variolas naturales* paffis, vix autem *unum* e *ducentis*, qui *Infititias* fubierunt, hoc anno periiffe. At in *Infulis* longe majorem ftragem edere folet morbus ifte lethalis; illic enim Peftis ipfa *Variolis naturalibus* aliquando vix eft lethalior: *Infititiæ* vero ita plerumque mites funt, ut fi in cœtu frequenti five *Britannorum* five *Barbarorum* PROFFSSOREM hunc celeberrimum contra Variolas *Infititias* differentem audirent Incolæ, argumenta ejus *certo certius* cachinnos commoverent omnibus: adeo vel Barbarorum animos fupra eruditorum quorundam captum Experientia fola erudivit! Sed ad D^ni^ PROFESSORIS de *Variolis Recidivis* opinionem revertamur.

Priufquam vero (inquit) in Europa de INSITIONE *cogitatum fuit, æque confpicuæ, æque apud quofvis in confeffo erant Notæ, quibus* veræ *Variolæ a* Spuriis *diftinguerentur, quam hodie.* * Quid autem refert, Dii boni! veras a *fpuriis* diftingui potuiffe fi non diftinguebantur? Si enim, tum *priufquam* tum *poftquam* de *Infitione* cogitatum fuit, hæc duo exanthematum genera bene diftincta fuiffent, *complures homines*, (ficut affirmat Vir clarus) VARIOLIS *bis pluriefve affici* nunquam exiftimati effent. In *Gallia* fane, ubi omnis fere Febris exanthematibus notata, imo ubi omnia fere exanthemata, VARIOLARUM nomine infigniri folent, *Variolas* quifpiam *decies* pati poteft: In *Britannia* vero ecquis Variolas bis paffum viderit? Et nos BRITANNOS vel oculorum vel mentis acie non minus quam Gallos valere pleræque gentes exteræ fatentur. Quis SYDENHAMUM? Quis FREINDUM? Quis MEADUM, focerum tuum digniffimum? Quis TE, denique, IPSUM, quo nemo in hoc morbo curando exerci-

* Pag. 53.

tatior

tatior fuit, *Variolas recidivas* vidiſſe unquam audierit ?

At hæc duo (nempe *complures ſine Variolis mori et plures iiſdem bis plurieſve affici)* negare, inquit celeberrimus *profeſſor*, eſt *Autorum hæc duo ſtatuentium* DENSUM AGMEN *aut turpis mendacii, aut oſcitantiæ haud condonandæ, inſimulare* ; *eſt* OMNEM ABJICERE HONESTATEM. Bona verba utinam daret DOMINUS PROFESSOR ; ne cujus alios audacter inſimulavit, *calumniandi* ſc. criminis ipſe quidem inſimuletur. Cur autem *turpis mendacii ?* An omnis a Veritate aberratio TURPE eſt MENDACIUM ? Minime vero. Si *ita* inquit Vir clariſſimus ; ſeipſum refutare poteſt. *Errare* enim *ipſe* aliquando poſſit ; MENTIRI nunquam. Quod nos in vita noſtra non modo non vidimus, ſed ne a quopiam fide digno unquam quidem accepimus, id non credere adeone eſt nefas ut idem ſit atque OMNEM ABJICERE HONESTATEM ? Multo magis verendum eſt ne iſti *omnem abjecerint honeſtatem*, qui *turpis mendacii aut oſcitantiæ haud condonandæ* nimis ſæpe redargui poſſunt, et quorum vereor ne AGMEN Profeſſoris DENSUM ſit pars aliqua : imo IPSA, quam merito veneratur, ANTIQUITAS, *multa*, quæ vocat, *turpia mendacia, multa oſcitantiæ haud condonandæ* ſigna poſteris tradidit. Quid de plurimis ARISTOTELIS, PLINII, imo et HIPPOCRATIS ipſius noſtri fabulis ſentit ? de quo *divino ſene*, quaſi revera *divinus* fuiſſet, ita loqui nimis familiare Nobis Medicis fuit. Quam falſa de prægnantibus protulit ? Quid de *Aphoriſmis* ejus *triceſimo, triceſimo primo, quadrageſimo primo, quadrageſimo ſecundo, quadrageſimo octavo, et quinquageſimo nono* Sectionis quintæ cenſet * ?

Nonne

* Aphor. 30. Γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχέσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νουσημάτων ληφθῆναι θανάσιμον.

31. Γυνὴ ἐν γαςρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

41. Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ, μελίκρητον διδόναι πιεῖν, κὴν μὲν ςρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαςέρα, κύει· ἢν δὲ μὴ οὐ κύει·

Aphor.

Nonne horum alii *oscitantiam haud condonandam* redolent, alii vero tanquam *turpia mendacia* infamia notari debent? Quot fœminas perdidit Aphorismus *tricesimus primus*? Quot Infantes prius vita quam nati fuerint privavit cæca, qua nimis diu HIPPOCRATEM prosecuti sumus, veneratio? Inter multa *Scientiarum* Impedimenta ANTIQUITATIS *Reverentiam* jure recenset magnus Ille *nostras*, Earum INSTAURATOR, nobilissimus VERULAMIUS. Audiat Virum immortalem de hac re in NOVO suo ORGANO exquisite differentem doctissi-

Aphor. 42. Γυνὴ ἔγκυος, εἰ μὲν ἄῤῥεν κύει, εὔχρȣς ἐςὶν· ἢν δὲ θῆλυ, δύχρȣς·
48. Ἔμβρυα τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριςεροῖσι μᾶλλον.
59. Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαςρὶ, βȣ́λῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτω· κἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τȣ͂ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας ϗ ἐς τὸ ςόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ ȣ̓ δι᾽ ἑαυτὴν ἄγονός ἐςιν.

His Aphorismis quid ineptius, quid falsius scriptis unquam mandatum fuit? Quid *tricesimo primo* perniciosius? Hic, obiter, de duplici *Typographi* errato in alio PROFESSORIS doctissimi opere eum monere liceat; de *Typographi* inquam errato; nam in PROFESSORE, cui HIPPOCRATES tam valde solet esse in ore, tantam linguæ HIPPOCRATICÆ inscientiam suspicari non licet. In Tractatu suo de Febribus, (cui titulus est *Theses sistentes Febrium Divisiones* &c. P. 8.) verbum minime *Græcum* characteribus *Græcis* exaratum pro *Græco* nobis obtrudere ausus est Typographus: Quid enim minus est *Græcum* quam vox ἐφεμέρη? In quonam scriptore *Græco* occurrit vox istiusmodi? Duplex, ut supra innui, hic est mendum; non modo enim ε pro η inscienter posuit Typographus, sed η etiam pro ος substituit. Nam Lingua *Græca* nomen ἐφημέρη non agnoscit; nullum *substantivum* habet, quod Febrem, a Latinis *Diariam* nuncupatam, denotet, sed *adjectivo* semper ad eam designandam uti solet, nempe ἐφήμερος; quod si unquam solum occurrit semper subintelligitur substantivum πυρετὸς. Neque nomen ἐφημέρη *adjectivum* esse potest; nam genus *fœmininum* adjectivi ἐφήμερος ejusdem est terminationis atque *masculinum*, scilicet ἐφήμερος; cujus Nominativus est ὁ καὶ ἡ ἐφήμερος καὶ τὸ ἐφήμερον. Latini quidem *substantivum fœmininum* a *Græco adjectivo* formavere, scilicet *Ephemera*, quam *fœminini generis* ideo evidenter esse voluere, quod ad *fœmininum* suæ linguæ *substantivum* sc. *Febrem* id semper referri animadverterunt. Haud ignoro *Grammaticos* hujusmodi nomina inter *adjectiva* plerumque recensere; in quibus usurpandis *substantiva*, ad quæ referri solent, semper subintelligi contendunt. Cum vero rarissime, si unquam, hæc *substantiva* in usum vocentur, cur USUS *(quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi) ex adjectivis hisce substantiva* suo jure creare nequeat non video. Quamobrem vero, si Latina voce uti vellet *Typographus*, latino charactere illud non excuderet? Lectoresne *Græcam* a *Latina* voce distinguere non potuisse arbitrabatur? an Græcum characterem tam deperdite amabat Typographus hic eruditus ut *Latinas* quidem voces sine *Græco* charactere edere nollet? Ambigitur.

mus

mus PROFESSOR. *Rursus vero homines a progressu in* scientiis *detinuit et fere incantavit* Reverentia ANTIQUITATIS, *et Virorum qui in Philosophia magni habiti sunt* AUCTORITAS, atque deinde CONSENSUS. Et paulo infra; *Auctores vero quod attinet, summæ pusillanimitatis est* Auctoribus *infinita tribuere*, Auctori autem Auctorem TEMPORI *jus suum denegare. Recte enim* VERITAS TEMPORIS FILIA non AUCTORITATIS. *Itaque mirum non est si* FASCINA *ista* ANTIQUITATIS *et* AUCTORUM *et* CONSENSUS *Hominum* VIRTUTEM *ita* ligaverint, *ut cum* Rebus ipsis *consuescere (tanquam Maleficiati) non potuerint.* Nov. ORGAN. Aphor. LXXXIV. Hæc non ita accipi velim quasi omnia Antiquorum scripta tum Physica tum Medica aspernarer. Multa quidem eos præclare in utrisque effecisse non diffiteor: Id tantum ago, ut quamplurima *mendaciorum (mendorum* potius, bona PROFESSORIS venia, dicere liceat) aut *oscitantiæ* exempla, quibus, sive propter pejorem philosophandi rationem, sive minorem ad Naturam investigandam (in qua etiam recentioribus cedunt,) diligentiam, scatent Antiquorum Scripta, non sibi venerationem ab Antiquitate concilient.

Plurima hujusmodi exempla e Scriptoribus recentioribus proferri possent nisi res esset plane invidiosa. Neque sane opus est: Nam infinita pene Scriptitantium multitudo (quos nemo Tyronum medicorum legit qui non omnes quoscunque morbos sanaturum se sponderet) atque exiguus, quem Artem mancam ex iis cepisse omnes uno ore confitentur, fructus, *mendorum* et *oscitantiæ*, forsan *haud condonandæ*, in Scriptoribus medicis testimonia sunt non refutanda

——pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuisse et non potuisse refelli.

At si Medici in rebus, ubi nihil præter fidem et diligentiam requiritur, tam fœde peccare solent, quid mirum si in iis, quæ

tam

tam judicii acumen quam fidem et diligentiam poſtulant, adeo a Veritate aberrare deprehendantur? Hujus autem *non condonandi* de *Variolis recidivis* errati, in quod DENSUM Viri clariſſimi AGMEN inciderunt, cauſam, niſi fallor, non admodum difficile eſt inveſtigare. Ex medicorum vocabulorum penuria ortum ſuum duxiſſe mihi videtur. Cum enim unum modo inter medicos obtinuerit vocabulum, quo duo exanthematum genera, forma quidem et figura ſimilium, genere vero valde diſſimilium, deſignare jamdiu ſoliti fuerunt, hæc *exanthemata*, quæ propter figuræ ſimilitudinem eodem VARIOLARUM *nomine* appellare conſueverunt, ut eodem eſſe *genere* exiſtimarent tandem aliquando adducebantur. Atque eo facilius in hunc errorem inciderunt incauti quod aliquando accidit *exanthemata* quædam (ea ſc. quæ Anglice vocamus the SWINE POX et CHICKEN POX) mitiſſimis *Variolis* adeo in omnibus, excepto temporis ſpatio, quo durare ſolent, ſimilia eſſe, ut vix alio ſigno diſtingui queant. Attamen hæc diſtinctionis Nota multo ſemper evidentior eſt quam quæ Medicum in medendo exercitatum fallere poſſit.

Atqui INSITORUM *moderatiores* (inquit celeberrimus PROFESSOR) *ſæpius faſſi ſunt* vigeſimum quemque hominem VARIOLIS *expertes mori*. Quinam vero ſint HI MODERATIORES? Nemo certe *Britannorum*; omnes enim Nos ſcimus longe pauciores quam *vigeſimum quemque* VARIOLIS *expertes mori*. Et ſi pauciores nunc (nempe ex quo VARIOLÆ inſeri cœperunt) VARIOLIS expertes moriantur quam olim (quod lubenter fateor) quid damni, obſecro, exinde tulerit Reſpublica, ſi multo plures in VITA SERVARE ſolet INSITIO quam olim exquiſitiſſima Artis ſolertia? Nonne Reipublicæ intereſt minimum, longe minimum, e duobus Incommodis eligere?

In alio noviſſimi ſui libelli loco non minus hallucinari videtur doctiſſimus PROFESSOR. * " Cum enim ponant (ait " ipſe) INSITORES e MILLI mortuorum LXXV VARIOLAS perdere " ſolere, et ex his MILLI mortuis CCCLXV *Infantes* ante ætatis " ſuæ annum *tertium* VARIOLIS expertes vulgo mori, hunc nu- " merum LXXV non de MILLI mortuorum donec CCCLXV de iis " ſubtracti fuerint i. e. de DCXXXV demere ſolent." Sed hæc res ſeſe aliter habet. Nam cum LXXV numeri MILLE pars ſint fere 13ª, et ii, quos perdunt VARIOLÆ, ſint circiter pars 13ª omnium qui moriuntur (ut infra ſtatim demonſtraturi ſumus) manifeſtum eſt INSITIONIS Patronos numerum LXXV de MILLI et non de DCXXXV ſubtraxiſſe. Mortuorum INDICES LONDINI ab anno MDCCII ad MDCCXXI facti ſc. per *viginti* annos ante INSITIONIS æram proxime elapſos ſatis demonſtrant 459377 mortuos fuiſſe, e quibus 33358 VARIOLOSI erant: Quorum numerorum poſterior prioris eſt pars fere 13ª †; ſed ſi LXXV e DCXXV demere ſoliti erant INSITORES (ſicut affirmat Vir doctus) VARIOLOSORUM mortuorum numerus ad partem fere *octavam* OMNIUM mortuorum aſſurrexiſſet.

Sed ſi concedamus *vigeſimum quemque* ſine Variolis *mori*; quid commodi celeberrimi PROFESSORIS cauſa exinde reportarit? Ex *mortem obeuntium Indicibus* LONDINI editis ab anno 1667 ad 1686 i. e. per *viginti* annos conſtat 8930 ſingulis annis *Variolis* correptos fuiſſe, quorum 1488 ſingulis annis moriebantur; eo ſane ipſo tempore (quod Vir doctus precor animadvertat) quo SYDENHAMUS ipſe LONDINI artem noſtram

* Vid. Refutation. P. 62.

† Ita quidem computaſſe videntur INSITIONIS Patroni; ſed, me judice, non ſine ſuo damno. E mortuorum INDICIBUS ſubducere certe oportet omnes, quos SENECTUS ipſa et CASUS omnimodi e vita tollere ſolent. Namque HI proculdubio inter eos, qui MORBIS pereunt, jure recenſeri nequeunt. His itaque ſubductis, (qui hiſce *viginti* annis, de quibus nunc agitur, erant 48827,) ratio eorum, quos perdunt *Variolæ*, erit ad rationem eorum qui omnibus ALIIS MORBIS pereunt ut 33358 ad 410550 i. e. *illi* erunt *horum* circiter pars *duodecima.*

exer-

exercebat. Jam ſi tunc temporis omnes illi, qui NATURALES paſſi ſunt, INSITIVAS ſubiiſſent, quot eo morbo periiſſent videamus? Vix quidem 21 ſingulis annis. Ex calculis enim nuper accuratiſſime poſitis UNUM e SEX NATURALES, et non niſi UNUM e CCCCXXV VARIOLAS INSITIVAS paſſis apud nos mori ſolere conſtat. Qualis Dii boni! differentia! Nonne INSITIO eo tempore 1467 homines ſingulis annis vel 29340 intra annos 20 ſervaviſſet? Quid refert igitur interrogare annon *vigeſimus quiſque* ſine *Variolis* moritur? *annon plures* INSITIONE *Variolas patiuntur quam via naturali* paſſi eſſent? Sit ita quidem; dummodo 1467 homines plures ſingulis annis *in vita ſervatura ſit* quam *via naturalis* unquam ſervare potuiſſet.

Sed ad Quæſtionem doctiſſimi PROFESSORIS *quartam* et ultimam attendamus.

Q. IV. AN CITRA ULLUM DUBIUM INSITIO SIVE EFFECTUM SORTITA SIVE IRRITA HOMINEM PER OMNEM VITAM A SECUNDIS VARIOLIS IMMUNEM PRÆSTET?

Hæc Viri celeberrimi Quæſtio *bipartita* eſt; binæque ejus partes ad hunc modum ſeſe habent.

I. An citra ullum dubium INSITIO *effectum ſortita* Hominem per omnem vitam a ſecundis Variolis immunem præſtet?

II. An citra ullum dubium INSITIO *irrita* Hominem per omnem vitam a *ſecundis Variolis* immunem præſtet?

De priore prius agendum eſt; quoniam in hac ipſa omnium aliarum ad INSITIONEM ſpectantium Quæſtionum Cardo vertitur.

Si enim Immunitatem a *ſecundis Variolis* præſtare nequit INSITIO, nunquam profecto tentanda eſt. Huic autem Quæſtioni decernendæ (ſaltem, Vir clariſſime, quod ad nos BRITANNOS attinet) ſufficeret reſpondere neminem *fide dignum* unquam affirmaſſe quenquam in BRITANNIA *ſecundas Variolas* poſt INSITIVAS expertum eſſe. Sed ne fabulis ab iſtiuſmodi Declamatoribus, quibus cum D^{no} CANTWELL de hac re commercium eſt Epiſtolare, in uſum INSITIONIS oppugnatorum confictis fidem adhibendo dictis noſtris diffidere velit celeberrimus PROFESSOR, teſtimonium omnibus aliis ad hanc Quæſtionem attinentibus longe anteferendum proferre liceat, quod eſt hujuſmodi. Quo tempore Variolarum INSITIO in BRITANNIAM primo introducta fuit ei omnia undique adverſabantur, Parentum ſc. ϛοργὴ, ſuperſtitio, innovandi odium, Partium denique, præcipue medicarum, ſtudia; adeo ut tot ſtrenue repugnantibus non niſi Duce atque Auſpice VERITATE Victoriam unquam reportare potuiſſet. Neque ea ſane, niſi MAGNA RES fuiſſet, prævaluiſſet. Tandem vero, Deo favente, PRÆVALUIT. Hic in BRITANNIA *Inſitionis* ſtatus Concluſionem, quam ex paucis VARIOLARUM RECIDIVARUM a Viro docto allatis exemplis conficit ipſe, funditus evertit. Namque etiamſi omnino vera fuerint, quæ profert, Facta, tamen nihil obſtare ea quominus Reipublicæ valde proſit INSITIO exinde conſtat, quod tot jam tandem vicerit oppugnatores. Veruntamen ne quid vel minimi ponderis ſine DIRECTO, quod petit Vir doctus, Reſponſo prætermittatur, caſus iſtos pauciſſimos ad VARIOLAS RECIDIVAS probandas ab eo allatos perpendamus; ex quibus conjicere licet quænam pleriſque iſtiuſmodi Narratiunculis fides ſit adhibenda?

Ac primo quidem, dicit Vir doctus, *in frequenti mea varioloſa Praxi* ALTERAS TOTIES *Variolas me obſervaſſe*, *ut demum riderem eorum ſecuritatem*, *qui quod eas olim habuiſſent*, *jam nihil ſibi a præſente in ædibus contagio formidarent*. P. 64.

Itane

Itane vero? TOTIESNE ALTERAS? *Rideat* igitur Vir doctus *si* ita *sapit*; ridendi autem veniam Nobis BRITANNIS vicissim concedat, quibus *in nostra* non minus *frequenti variolosa Praxi* nihil ejusmodi unquam videre contigit. At e multis ejusmodi, *quæ vidit*, *quæ adnotavit* Professor celeberrimus, exemplis, *unum* tantum ei seligere placuit, quod operæ pretium est perlustrare.

1757. 20. Febr. *expertissimus et doctissimus* Erndl *narrat casum se habere. Rem coram videre gestiens*, 21 Febr. PUELLAM *quæ* secundas Variolas *pati dicebatur cum ipso adeo facto accurato examine*, *sequentia constitere.* P. 65, 66.

Prætermisso, quod hanc sententiam denormat, errato *grammatico*, (nonne enim *substantivum* PUELLAM verbum quiddam requirit si sententiam totam intelligi velit Vir doctus?) ad ea quæ constitisse affirmat transibimus. *Pater*, *Mater*, *Avia narrabant quatuor elapsos annos esse*, *cum Variolis* ADEO CONFERTISSIMIS *puella laborasset*, *ut vix* VACUUM *ab iis Spatium* TOTO daretur CORPORE. *fuisse vero* MAXIMAM PARTEM DISTINCTAS, *pauciores modo in vesiculas abeuntes. caput vehementer intumuisse*, *Infantem per novem dies gravissime laborasse*, *perque alios novem dies adhuc male*, *at mitius quam prioribus*, *habuisse.*

Ad hunc casum stabiliendum notatu dignum est Virum doctum MATRONAS suas iterum in Scenam induxisse. Nam ex tribus hisce testibus, quos citat, duæ sunt MATRONÆ. Vide autem, Vir dignissime, quam perite, quam scienter rem narrent MATRONÆ! *Variolis* ADEO CONFERTISSIMIS *Puellam* laborasse aiunt ut vix VACUUM ab iis SPATIUM TOTO daretur CORPORE. Nonne ex hac Descriptione, Vir ornatissime, credere Nos oporteret *Variolas* e CONFLUENTIUM genere fuisse? At toto errat cœlo qui ita credit; nam statim subjungit Medicus, ex

MATRO-

MATRONARUM ore, MAXIMAM PARTEM fuiſſe DISTINCTAS. Ecce autem totam ſententiam! *cum Variolis* ADEO CONFERTISSIMIS *Puella laboraſſet ut vix* VACUUM *ab iis* SPATIUM TOTO *daretur* CORPORE: *fuiſſe vero* MAXIMAM PARTEM DISTINCTAS. Hic animadverſione dignum eſt has Puellæ *Variolas* ita a DISTINCTARUM numero diſcrepaſſe ut voces *adeo confertæ* ad eorum multitudinem denotandam non ſatis accommodatas eſſe exiſtimaverit Vir doctus; quapropter Particulam *intendendi* (quod aiunt *Grammatici*) cum gradu *ſuperlativo* minus gnare conjungit, narratque eas ADEO CONFERTISSIMAS fuiſſe ut vix *vacuum* ab iis *ſpatium* TOTO daretur CORPORE. Quid de ſymptomatibus hiſce repugnantibus, Vir clariſſime, ſentis? Quid de AVIIS hæc referentibus cenſendum eſt? Sinat, PROFESSOR doctus, obſecro, ut

—*Veteres* AVIAS *Sibi de Pulmone revellam.*

Sed non AVIARUM fide neque judicio nititur hæc earum Narratiuncula. Nam *oculo nudo* et MICROSCOPIO *per univerſam faciem ſe vidiſſe, inque manibus hinc inde, foveolas introſperſæ cutis tum innumeras, tum cribri foraminum inſtar ſibi contiguas.* P. 66. Sinat iterum ut rogem, ſi Foveolæ hæ per univerſam faciem inque manibus tam innumeras ſeſe *oculo nudo* in conſpectum dabant, cur opus fuerit MICROSCOPIO ad eas detegendas? Nos profecto *increduli* quod oculis inſpicimus nudis facile agnoſcimus; MICROSCOPIA non poſtulamus. Attamen haſce *primas* Variolas veras fuiſſe concedamus. Quomodo autem eas, quas haſce ſecutas fuiſſe dicit, quomodo *ſecundas* etiam veras fuiſſe probabit Vir doctus? Hoc modo. *Parentes narrabant, narrabat et* MEDICUS, *qui jam a primo contagii adparentis tempore Puellæ adfuerat, infantem per quatuor fere dies febricitaſſe, dein convulſam eſſe, tandem Variolis die* 15 *Febr. affici cœptam.* P. 97. Hiſce animadverſis *ſecundas Variolas veras eſſe ſecundum Artis regulas accurate adplicitas declararunt*

rarunt quatuor MEDICI. Quænam vero ſint hæ Artis regulæ? Unam modo agnoſcimus, qua veræ mitiſſimæ a *ſpuriis* diſtingui queant; ſc. SUPPURATIONIS tempus; quod in VERIS ad diem ſaltem *ſextum* ab eruptione in *facie* durare ſolet. Septima autem haſce *ſecundas* Variolas in *facie* paſſim *exſiccatas* vidit Vir clarus. *Unam in tantum puſtulam in cute capillata pure plenam cernere licuit*; *plures vero tales in toto dorſo infante vix ægrotante.* Ecce dilucidam, Vir doctiſſime, SPURIARUM Deſcriptionem! Unam tantum puſtulam in capite, cæteras, (quæ in facie erant) die *ſeptima* paſſim exſiccatas Infante vix ÆGROTANTE! Fieri profecto poteſt ut in mitiſſima DISTINCTARUM VARIOLARUM ſpecie (ſicut bene noſti) Puſtula una et fortaſſe altera die *ſeptima* in facie exſiccari incipiant. Quis vero *Variolas* VERAS die *ſeptima* ab eruptione in facie PASSIM EXSICCATAS unquam viderit? Quis SPURIAS in TOTO DORSO pure plenas eo die non viderit? Per *toto* enim *dorſo* Virum doctum intelligi velle autumo *in aliqua* totius Dorſi *parte*; cum *Variolas*, quæ non niſi paucæ in facie fuere, per *totum Dorſum* confertas nemo unquam animadverterit. Hinc ſatis conſtare, Vir clariſſime, niſi fallor exiſtimabis, *Variolas* haſce, quas vocat Vir doctus *ſecundas*, (quicquid *Artis regulas accurate applicando contra ſtatuerint* QUATUOR alii MEDICI,) SPURIAS ejus generis, quas *Anglice* SWINE-POX nuncupamus, fuiſſe. In hac enim SPURIARUM ſpecie lentiſſime (ut bene ſcis) plerumque protruduntur puſtulæ; adeo ut una atque altera in *Dorſo* pure plenæ die *decimo* vel *undecimo* non raro reperiatur.

Ne miretur itaque celeberrimus Profeſſor ſi Sibi vel *e Cathedra* ad hunc modum pronuntianti, *ſi hæc ſententia de ſecundis* Variolis *demonſtrata non ſit* NIHIL IN MEDICIS aut PHYSICIS DEMONSTRATUM HABERI, (p. 68.) aſſentiri non poſſumus. Ita dicere Nobis ſaltem BRITANNIS non licet. Quod paullo poſt animadvertit Vir Doctus nullo modo negabimus;

nullibi

nullibi ſcilicet *minus dominari* Veri amorem *quam in præſenti quæſtione* P. 69. Utra vero in Parte hujus Quæſtionis *minus dominetur Veri amor* Veri amantes decernant? At a candore ſuo nimis recedere videtur Vir doctus ubi in hunc modum declamat; *ſi cuipiam veræ Variolæ in* 7^{m}. 10^{m}. *diem ſuppurantes ſiant appellabuntur* VERÆ, *quando nullæ ſive naturales Variolæ ſive artificiales, ſive irritæ inſitiones, prægreſſæ ſunt: ſin vero præceſſerint erunt duntaxat* SPURIÆ. Omnes *Variolæ* in *decimum* imo in *ſeptimum* diem in *facie* ſuppurantes nobis Judicibus appellabuntur VERÆ tum INSITIVÆ tum NATURALES, ſed ne exiſtimet doctiſſimus PROFESSOR Nos BRITANNOS *ſuppurationis* Hiſtoriam ab AVIIS et MATRONIS, imo ne eas commendantibus quidem Medicis, accepturos eſſe. De quibus publicis ſcriptis, quæ malas INSITIONIS Patronorum artes referant, loquitur Vir doctus prorſus neſcio. Id tantum ſcio, neminem iſtius Hominum generis apud Nos inveniri; et ad Hiſtoriam, quæ *Profeſſoris* eximii coronat opuſculum, jam tandem devenimus.

Hiſtoria hæc, quam proferre gaudet celeberrimus *Profeſſor*, in Epiſtola *quadam* a Domino *quodam* MACKENZIE ad MAGNIFICUM *quendam* Dominum *Laugier ſacræ utriuſque Majeſtatis* Medicum *gallice* conſcripta continetur, et ad hunc modum a Profeſſore *latine* verſa ſeſe habet. *Conſtantinopoli variolæ inſeruntur Puellæ. Viginti annis poſtea eadem Puella curam gerit infantum aliorum qui Variolis inſitivis decumbunt. His periculo ereptis, ipſa Variolis naturalibus maxime malignis afficitur, moritur.* Sed hic *egregius* MACKENZIE (ita enim hunc cauſæ ſuæ Fautorem celeberrimo *Profeſſori* appellare placuit) ægram hanc *ſe non vidiſſe* fatetur; cui objectioni, utpote non levi, *ſexies* reſpondere dignatus eſt Vir doctus.

1mo. Re-

1mo. Reſpondet, *autorem epiſtolæ hominem levis animi non eſſe, at maturi judicii, ut ejus ſcripta docent; Virum proinde, cui ad aniles Confabulationes aures minime fabrefactæ eſſent.* Quid tum? Nonne homo *maturi* judicii mentem præoccupatam habere *poteſt?* nonne in perſcrutando minus ſedulus eſſe *poteſt?* nonne *veri amor* in homine ejuſmodi paſſionibus aliis, imo ne conſcio quidem ipſo, cedere *poteſt?* nonne denique Vir, cui aures ad *aniles Confabulationes* minime fabrefactæ eſſent, *anilibus confabulationibus* confidere *poteſt?* imo nonne *mavult* quam ſuis oculis videre? quippe qui ea quæ orbi erudito tradit ex AVIARUM et MATRONARUM narratiunculis quam propria experientia referre *mavult.* Huic noſtræ quæſtioni DIRECTUM dedit Reſponſum *egregius* ipſe; nam in Epiſtola altera, de qua infra dicemus, narrat D^s MACKENZIE ſe hanc de Puella CONSTANTINOPOLITANA Hiſtoriam ANILIBUS CONFABULATIONIBUS (quomodocunque *aures ſuæ fabrefactæ ſunt)* omnino debere. Ibi enim ſolæ, quas ad morbum ab INSITIONE contractum probandum affert, Teſtes ſunt duæ ANUS, infauſtæ nempe Puellæ MATER atque AMITA *.

2do. *Egregium* hunc MACKENZIE *Inſitionis Fautorem et Promotorem ipſum fuiſſe ait* Vir doctus; ſed occaſionem ſententiam ejus mutandi non narrat; adeo ut quid momenti hoc argumentum habeat ſcire nequeamus. Si enim ſententiam ſuam multo ante mutavit D^s MACKENZIE quam Epiſtolam hanc conſcripſerat, adeo non valet Viri docti argumentum, ut a ſententia mutata valde labefactetur. Teſtis enim in ſua cauſa eſt D^s MACKENZIE. Et ſi hæc ipſa Hiſtoria ſententiæ mutatæ cauſa extiterat, argumentum, quod pro ſe tantopere pugnat, vix celaſſet celeberrimus Profeſſor.

* Vid. Pag. 54, 55, 56.

 3^tio. Scri-

3tio. Scripſiſſe ait *egregium* M. ad *magnificum* L. INSITIONIS *cum illo Fautorem, ad quem circa ejuſmodi rem non niſi curatiſſime examinata referri debuerint.* An igitur res *ſemper* curatiſſime *examinata fuerint*, quotieſcunque curatiſſime examinari *debuerint?*

4to. *Eundem examen debitum inſtituiſſe*, ut verba ejus indicant: *quo in examine ſi vel minimam ſuſpicionem alius morbi quam varioloſi ſubeſſe intellexiſſet, ſuam utique ſuſpicionem, una cum Hiſtoria hac, erudito cum amico communicaſſet.* Quid, obſecro, verba ejus indicant? Se ſcilicet non vidiſſe ægram. Quomodo ergo examen debitum inſtituere potuerit? Hiſtoriam accepit (reſpondebit Vir Doctus) a teſtibus fide dignis. Quinam vero fuerint hi fide digni non narrat *egregius* M; neminem enim præter MATRONAS duas memorat; quæ in lite *medica* Teſtes *fide dignæ* nequaquam ſunt habendæ.

5to. *Conſideremus Patronum hunc* INSITIONIS, *ſi de hiſtoriæ veritate addubitandi rationem quodammodo probabilem habuiſſet; dubio procul conaturum fuiſſe omnes Chriſtianos græcos educere ex errore, & ſaltem illum, qui ob triſtem hunc caſum infantes ſuos ſibi inoculandos committere negabat, erudire veriora.* Quis opinatur hunc INSITIONIS Patronum *de Hiſtoriæ* SUÆ *veritate addubitaſſe?* At *aliis* certe de ea dubitare licet, imo et libet donec argumenta meliora ad eam probandam attulerit.

6to. *Tandem perpendamus eruditum M. non in primo impetu, ſed elapſis integris novem menſibus demum hanc Epiſtolam ſcripſiſſe; adeoque factum rite examinandi occaſionem habuiſſe.* Nihil magis ad rem pertinet hoc ultimum argumentum quam omnia priora. Quid enim refert novem integros menſes, imo annos, occaſionem habuiſſe factum rite examinandi ſi nunquam quod (antea animadverti) id rite examinaverit?

E *gallico* doctiſſimi PROFESSORIS Libello, quem antea ſubinde citavi, primum intellexi clariſſimum CONDAMINUM, non minus quam Nos, de hac Narratiuncula CONSTANTINOPOLITANA dubitaſſe; cui viro candido non magis quam Nobis ſatisfeciſſe autumamus Epiſtolam alteram ab *egregio* eodem MACKENZIE, ad Narratiunculam hanc de Puella CONSTANTINOPOLITANA confirmandam, ſcriptam; quam in hoc ſuo noviſſimo de VARIOLIS INSITITIIS Libello protulit hic ſcriptor aſſiduus *. OMNES enim, quas hic *egregius* ad morbum INSITIVUM probandum adducit, Teſtes ſunt Puellæ infelicis MATER et AMITA; unde ſatis conſtat neque PROFESSOREM hunc PRIMARIUM neque *egregium* ſuum MACKENZIE res hujuſmodi ſine MATRONIS agere ſolere; quas quoties in medium proferunt REM IPSAM LOQUI exultantes exlamant.

Una vero eſt, quam ex hac Hiſtoria conficit Vir doctus, Concluſio, in qua ei aſſentiri poſſumus, ſcilicet *æque facile Variolas* veras *naturales* poſt *inſitivas* naſci poſſe *quam* ſecundas naturales, ſed *ſecundas naturales* unquam naſci nequaquam credimus.

II. *Utrum* INSITIO IRRITA *hominem per omnem Vitam* a ſecundis Variolis *immunem præſtet?*

Huic breviter reſpondendum eſt. Per INSITIONEM IRRITAM non Inſitionem incaſſum tentatam vel (ut verbis Viri doctiſſimi utamur) *effectum non ſortitam* intelligi vult doctiſſimus PROFESSOR. Quiſnam enim ſanus IMMUNITATEM a Re NULLIUS EFFECTUS expectaret? Quiſve prudens ſcienſque unquam dubitaret utrum *Variolas* nondum paſſus eas pati potuerit? Per INSITIONEM igitur IRRITAM, verbis minus ad rem accommo-

* P. 54, 55, 56, &c.

 datis,

datis, * casum indicare velle videtur celeberrimus PROFESSOR, in quo INSITIONEM nullæ quidem consequuntur Pustulæ, sed aliquantum puris per plurimos dies emittunt vulnuscula. Si ita intelligi velit Vir doctus, sic respondeo. Rarissimi sunt casus hujusmodi; æque profecto rari sunt atque SENES *Variolas* nondum passi; et fortasse ii ipsi, qui nullum INSITIONIS, etsi bis adhibitæ, EFFECTUM SORTIUNTUR, siqui unquam fuere, iidem sunt, qui *Variolas* nunquam experturi essent; scilicet paucissimi. Utcunque vero hæc Res sese habuerit, hoc certe constat, neminem qui INSITIONEM sive EFFECTUM SORTITAM sive hujusmodi IRRITAM in ANGLIA hactenus subiit, *Variolas* POSTEA unquam passum esse: Atque hoc existimamus esse DIRECTUM, quod postulat celeberrimus PROFESSOR, *quartæ* suæ QUÆSTIONI *Responsum*.

Duo tantum sunt, Vir clarissime, in toto novissimo celeberrimi PROFESSORIS libello argumenta, quæ vel minimum ponderis nobis habere videntur, ea scilicet, quibus per totum fere *tertium* libelli sui *Caput*, imprudentium quorundam INSITIONIS Defensorum opiniones oppugnat; eorum nempe, qui VARIOLIS INSERENDIS quasdam aeris *Constitutiones* quasi necessarias esse statuunt; et eorum, qui VARIOLOSORUM MORTUORUM numerum diminutum esse contendunt, ex quo eas INSERENDI mos invaluit. De ILLIS Defensoribus PROFESSORI docto satis esse duco respondere

——*Non* Defensoribus istis
Tempus eget——

Sed de HIS, qui pauciores perdidisse Variolas NATURALES affirmarunt ex quo invaluit mos VARIOLAS *inserendi*, fatendum

* Cur enim IMMUNITATEM a SECUNDIS *Variolis* Vir doctus requirit nisi *Insitionem* IRRITAM morbum PRIUS effecisse autumet? et si morbum PRIUS effecerit, EFFECTUM certe SORTITA fuerit INSITIO, i. e. non IRRITA fuerit.

est

eſt eos propter ardentiſſimum rei utiliſſimæ ſtudium in errorem incautos incidiſſe. Namque conſtat ex mortuorum INDICIBUS LONDINI ab anno 1702 ad annum 1721 factis, per *viginti* ſc. annos INSITIONIS *æram* proxime præcedentes 33358 homines VARIOLAS perdidiſſe; et ex iiſdem INDICIBUS patet 39293 eodem morbo periiſſe ab anno 1736 ad annum 1755; per *viginti* ſc. annos, quibus maxime invaluit mos INSERENDI. Ex his manifeſtum eſt circiter 296 plures ſingulis *hiſce* annis quam *illis* mortuos eſſe VARIOLOSOS. Hoc lubenter fateor; minime vero contra INSITIONEM pugnat hoc factum; etiamſi huic mortuorum Differentiæ præcipuam dediſſe auſam INSITIONEM conceſſerim. Quid enim refert latius ſpargi NATURALES modo omnibus ſemper præbeatur ab iis ASYLUM? Quanto majorem ſtragem edere ſolent, tanto quidem magis unumquemque oportet eas cavere INSERENDO: Quo ſævius inter homines graſſatur iſtiuſmodi PESTIS, eo ſane gratiore animo ANTIDOTUM ejus huic noſtro ſeculo a miſericordia D. O. M. oblatam accipere debemus.

Tandem vero, (ut, quod de VARIOLIS INSITIVIS dicendum reſtat, verbo dicam) fatendum eſt, Qui VARIOLAS primus apud Nos inſeruit ILLUM profecto de Re medica, imo, (quod multo melius eſt) de humano genere optime meruiſſe; de MEDICIS vero non ita. Nobis autem quod incommodum intulit ampliſſime compenſavit; nobis ſcilicet occaſionem, quam avidiſſime arripere oportet, offerendo palam demonſtrandi quantum humani generis commodum noſtro anteponamus! In *nulla* enim *re propius ad* DEI *naturam quam ſalutem hominibus* QUOCUNQUE MODO *dando accedere poſſumus.* Ita ſentiebat ETHNICUS; quanto magis ita ſentire Nos debemus CHRISTIANI?

Vidiſti jam, Vir ornatiſſime, omnia, quæ contra hunc PROFESSOREM PRIMARIUM de hac lite dicenda habui. Siquid aſpe-

aſperius ei dictum eſſe exiſtimaveris, arrogantiam quidem, qua NOSTRATES, omneſque alios qui aliter atque Ipſe ſentiunt, Medicos tractare, iiſque Infamiam tanquam in Medicina HÆRETICIS inurere ei libuit, excuſationem mihi juſtam ad Te cæteroſque Medicos ingenuos paraturam eſſe ſpero. Vale, Vir amiciſſime, et amare perge

Tui amantiſſimum

LONDINI Menſe Januario
MDCCLXI.

R. TAYLOR.

SEX

HISTORIÆ MEDICÆ

SIVE

Morborum aliquot funeſtorum et rariorum

COMMENTARIUS.

HISTORIA PRIMA.

VIR generoſus, quinquaginta circiter et quinque annos natus, *Arthritidis* doloribus jamdiu cruciatus, qui vero per biennium proxime elapſum ab iis omnino vacaverat, Febre ſpuria Intermittente die decimo quarto Menſis Maii 1756 correptus eſt. Hujus Paroxyſmi nullo certo ordine recurrebant, quippe qui modo duodecim, modo triginta et ſex horarum intervallo a ſe invicem diſtabant. Rigores violenti ſingulis acceſſionibus ſymptomatum agmen ducebant, quos excipiebant ſudores profuſi nullo intercedente calore; ex cujuſmodi ſudoribus et incertis Paroxyſmorum Periodis de genere Febris ſpurio orta eſt ſuſpicio: cætera enim ſigna Intermittentis veræ genuina eſſe videbantur. Urina per totum Paroxyſmorum curſum cruda, iiſque ceſſantibus craſſa, ſedimentumque copioſum *lateritium* læve et æquale nunquam non deponens, (contra atque in Intermittentibus ſpuriis plerumque videre licet) Intermittentis veræ urinam ſimulabat. Quid quod temporibus inter Sudores noviſſimi et Rigores Paroxyſmi ſequentis interjectis exquiſita ſemper erat ἀπυρεξία; et poſt unum atque alterum Paroxyſmum puſtulæ circa labia, quales Intermittentes veras comitari ſolent, denſo agmine erumpebant? Poſt primum Paroxyſmum mittebatur Sanguis ad ℥xij qui pleuritici valde æmulus erat, et hauſtibus ſalinis alvus quotidie ter quaterve ſoluta eſt. Sextum hujuſmodi Paroxyſmum paſſo, ne deficerent vires, quæ non ſatis firmæ videbantur, exhibebantur *Corticis Peruviani* decocti doſes ampliſſimæ adjecta ſingulis *Tincturæ* ejuſdem Corticis *volatilis* ʒß; quibus ne hilum proficientibus conſilium cum D^no^ *Doctore* DUNCAN *Medio Regio*

Q bene-

benevolentiſſimo inii; atque ægroto *Tincturæ Rhei vinoſæ* ℥ij a febre vacanti bibendas præcepimus, quæ alvum ſepties exonerarunt. Haud multo poſt dejectionem poſtremam redibat Paroxyſmus, ſymptomatibus ſtipatus ſolitis, quo declinante *Corticis Peruviani* pulverati ʒj alternis horis deglutiendam ſuaſimus; qui cum nihil amplius quam antea profeciſſet Vini *Ipecacoanhæ* ℥iß poſt proximum Paroxyſmum exhibendam eſſe ſtatuimus. Paroxyſmum avertere non potuit Emeticum; eum vero ſecuta ἀπυρεξία Corticis pulverem, ſicut prius præſcriptum eſt, iterum ingeſſimus; nequaquam tamen meliori eventu: ab eo enim deſiſtere poſt paucas horas coacti ſumus, quoniam Febris in continuarum caſtra tranſire jam feſtinabat. Febri in continuam tranſeunti ſuperveniebat Dolor paulo infra Scapulam dextram obtuſus; atque Tuſſis, quæ ab ineunte morbo fuerat obſcura, nunc importuna eſſe cœpit. Parca ſputatio, cita Reſpiratio, Urina cruda, Dejectiones bilioſæ, ſudor profuſus Febrem, nunquam non, ſingulis vero noctibus vehementius urgentem, comitabantur. Nunc Medico altero celeberrimo doctiſſimoque D^no^ *Doctore* Heberden in partem curationis vocato applicabatur Veſicatorium inter Scapulas, et hauſtus ſalini cum *Spermate Ceti* ſextis horis, ſicut a nobis prius præſcriptum fuerat, propinabantur; quibus non obſtantibus exacerbatus eſt Dorſi dolor; ideoque Venam ſecare et Veſicatorium parti affectæ imponere decrevimus. Secta Vena et applicato Veſicatorio omnino ceſſavit Dorſi Dolor, ſed urgentibus Febre et Tuſſi quater ſecta eſt Vena, ſanguiſque ſemper inſtar pleuritici fuit. Poſt quartam Venæ ſecandæ vicem tantum non quievit Tuſſis, et Dolor levis cum rubore genua et malleolos ſubinde laceſſens *Arthritidis Criticæ* mox acceſſuræ Spem fecit, quam tamen fefellit Eventus. Nam cito retrocedentibus Symptomatibus *Arthriticis* ſucceſſit Febris *Hectica*, ſudoribus, et urina modo cruda, modo craſſa, nihil opis ferentibus, atque calore nunc ardenti nunc mitiori nimis conſpicua; quæ ad

finem

finem menſis Junii, fruſtra adhibitis *Lactis aſinini* et *Elixir Vitriol. mynſicht.* ſubſidiis, miſerum agitare perſtitit: quo tempore, cum nihil profectura eſſe viderentur medicamenta, quid aer purus in *Hectica* reprimenda valere poſſet experiri viſum eſt; ideoque ex Urbe in Rus advectus eſt, ubi, priuſquam tranſegerat biduum, *Hemiplegia* ſiniſtrum oppreſſit latus. Neque ſuperveniente *Hemiplegia* receſſit Febris, ſed viribus indies auctis intra quatriduum (ſc. Die Junii 29°) vitæ finem impoſuit.

Extincto Viro non dubitantes quin Febris tam contumax et ἀνώμαλος ex mala, quarundam partium internarum, et præcipue Thoracis, affectione ortum duxiſſet ſuum; atque quale et quantum eſſet ſciendi valde cupidi cadaver (anatomica *chirurgi Regii* digniſſimi D^ni^ *C. Hawkins* ope uſi) diſſecuimus. Aperto abdomine omnia ſana invenimus: in Thorace vero non ita. Nam pone ſiniſtrum Pulmonis lobum aliquantum ſaniei albidæ ſanguineo ſero copioſe dilutæ ſuper ſpinam fluitantis cernere licuit; quæ non ex lobo ſiniſtro oriunda per *mediaſtinum* ex lobo dextro, ubi fontem ejus reperiebamus, viam ſibi fecerat. In poſtica et inferiore lobi dextri parte, quæ ſpinæ Dorſi ſuperjacet, ulcus rotundum, magnitudine nummum coronatum æquans, pure ſanioſo diffluens; hujuſque lobi dextri maximam partem *Gangrænæ* faciem exhibentem vidimus. Ulcus hujuſmodi proculdubio præceſſerat Inflammatio ſive vaſorum ſanguineorum Obſtructio; cujus cauſam proximam minime vulgarem in ſpina ipſa Dorſi haud parum attoniti inſpeximus. Duæ enim Thoracis vertebræ, poſticæ et inferiori Pulmonis parti objectæ, ſc. undecima et duodecima, *Exoſtoſin* aſperam valde conſpicuam, toti ſuæ ſubſtantiæ adnatam, exhibuere; quæ Pulmonis vaſcula diu comprimendo *Inflammationem* nulla arte ſanandam, jam tandem effecerat.

Cum Vir defunctus, qui salutarem unum atque alterum *Arthritidis* Paroxysmum quotannis subire solitus erat, ab iis per biennium proxime elapsum (quotidie copiose deglutito pulvere quodam *Anti-arthritico* apud nos nuper decantato) seipsum liberasset, nonne credere fas est materiam Arthriticam ab articulis in spinam Dorsi depulsam, causam fuisse hujus *Exostoseos* continentem? si tumores istiusmodi osseos in cæterorum ossium Articulis haud raro creat materia Arthritica, cur in Vertebris, quæ Articulorum speciem quandam proculdubio constituunt, eadem causa non idem efficeret? Nonne suspicari licet diuturnos hujusmodi morbos, qui Arthritidem, quotiescunque *sanatur* (ut loqui amant Empiricorum nostri ævi Fautores) sequi solent, ex materia morbi, a sede sua destinata, modo in viscera, modo in ossa ipsa sive spinæ sive Capitis, retropulsa ortum suum ducere? Hoc ut credam eo facilius adducor quod plurima Podagricorum hoc remedio usorum exempla funesta mihi vidisse contigit. Anne credibile est saniem hanc non prius formatam esse quam corticem Peruvianum deglutiverat ægrotus? aut Venam sæpius ineunte morbo secando quo minus ea formaretur impedire nos potuisse? Nonne veri multo similius est hanc supervenientibus primis Rigoribus effectam esse, cum in Pulmone, qui Nervis minus abundat, pus haud raro sine dolore efficiatur? Dolor enim, quem brevi senserat defunctus, eo ipso tempore ortus fuisse videtur, quo sanies, mediastinum rodendo a dextro in sinistrum Thoracis cavum penetrare cœperat. Nonne denique sanies in dextro Thoracis cavo super spinam Dorsi fluitans, quæ tam Nervos *Dorsales* per Thoracem excurrentes (qui *Brachialibus* ramum impertiunt) quam Lumborum *par secundum* (quod cum ramis *paris primi tertii et quarti* implicatum Nervum Cruralem constituit) per foramina Spinæ lateralia sese insinuando obstruere possent, *Hemiplegiæ*, lethi Præcursoris, causa evidens jure æstimari possit?

HISTO-

HISTORIA SECUNDA.

VIR quidam ſexagenarius, bilioſo temperamento præditus, et Rheumatiſmo laborare jamdiu ſolitus, exeunte menſe Junio 1756 de doloribus artuum vagis querebatur; qui, etſi eos aliquoties comitabatur Febris, eum, quominus quotidiana foris obiret negotia, prohibere non poterant. Poſtquam ad ſymptomata hujuſmodi per duas ſeptimanas nullam adhibuerat curam die Julii 9° valde exaſperatis omnibus Pharmacopolam accerſere cogebatur, qui ſanguinem e brachio ad ℥x extraxit, et *Nitri* Pulveriſque *Contrayerv. c. a. ſcrupulum* ei ſextis horis devorandum præcepit. Hiſce nihil proficientibus die Menſis undecimo veſperi me arceſſiri juſſit; quo tempore de doloribus artuum, maxime autem brachiorum, acutiſſimis, qui eum a lecto, tam noctu quam interdiu, omnino abegerant, querentem inveni. Pulſus erat velox, plenus et durus; lingua fœditate fuſca obducta, ſed humida; ſitis urgens, urina rubicunda ſed non flammea. Conſtabat mens, ſed doloris et febris valde erat impatiens. In primis morbi diebus, dum querulus obambulabat, rigores crebros, quos flocci fecerat, patiebatur; nullos autem ejuſmodi, poſtquam domi ſe continere cœperat, experiebatur. Sanguinis ℥xij e brachio ſtatim educendas curavi; qui inſtar ſanguinis primo extracti valde pleuriticus fuit; et hauſtum cum Pulveris *Contrayerv. c.* ℈j et *Nitri* ℈ß 4ta quaque hora ſumendum ſuaſi, adjectis Emulſionis communis ℔ij cum *Nitri* ʒiß pro potu communi bibendis. Poſtero mane mihi ante horam nonam eum reviſenti noctem valde inquietam, dolore brachii ſiniſtri (quod jam occupaverat tumor ingens) vix tolerando excruciatum ſe tranſegiſſe affirmavit: quo brachio inſpecto idem tumore duro, multiſque maculis lividis et latis ab oſſe humeri ad extremos digitos fœdatum attonitus inveni. Peſſimi eſſe ominis ſymptoma hujuſmodi

jusmodi suspicatus dextram ilico arripui, cujusmodi esset pulsus istius brachii exploraturus; quem cum digito vix sentire possem, amicis ægroti in conclave propinquum seductis, conclamatum esse pronuntiavi: Gangræna enim lethali ægrotum intra paucas horas occisura tentatum esse brachium plane intellexi. Neque dirum me fefellit omen; nam circa horam secundam pomeridianam ejusdem diei (sc. Mensis 12[i]) sana mente ægrotus expiravit.

Mirum profecto est quanta hujus ægri humores depravarit Putredo? ex humoribus enim depravatis fatale hocce malum, et non ex injuria, vi externa illata, oriatur necesse est, quippe quod non isti brachio, e quo extractus erat sanguis, supervenerat. Etenim quamvis *Bicipitis* tendinem, lanceola læsum, brachio lateris oppositi, dolorem et tumorem mirum in modum aliquando inferre haud ignoro; in hoc tamen casu, brachium, cujus Vena fuerat secta, ne minima quidem læsionis cujuslibet signa prodidit: cui argumento addi potest aliud, (quo nemo vel rerum medicarum rudis falli posset) ex ipso brachii tumefacti aspectu petitum, nulla scilicet Inflammationis istiusmodi, quæ tendinem læsum sequi solent, signa brachium exhibuisse, sed Gangrænæ late serpentis faciem omnino præ se tulisse; cujus etiam signum alterum in macula minus conspicua cruri ejusdem lateris (sc. sinistri) superveniente, cernere licuit. Quæ cum ita sint funestum hujus morbi exitum, qui sub initio ab omni periculo vacare ægroto videbatur, ex singulari humorum in Putredinem proclivitate, ad quam corrigendam nihil, dum tempus tulit, fuerat adhibitum, ortum duxisse suum credere cur dubitabimus?

HISTO-

HISTORIA TERTIA.

PUER quinquennis omnino ſanus, qui *Variolas* paſſus erat INSITITIAS mitiſſimaſque, die Morbi decimo (ratione dierum a puſtulis erumpentibus computata) faciei puſtulis jam areſactis, iis vero, quæ occupaverant artus, vix areſcentibus, per Nutriculæ errorem hauſtus lenitivi (vix enim purgans jure dici potuit hauſtus iſtiuſmodi) pro patre ejus præſcripti duas tertias devoravit. Poſt tres horas in ludo jocoque tranſactas ſemel modice dejecit alvus, elapſaque una vel altera hora ad tertiam vicem non immodice ſoluta eſt. Haud multo poſt inter prandendum convulſionibus diris correptus eſt Infans; quibus crebro recurrentibus, pulſuque debili et celeri ſtipatis, ſudoribuſque nihil proficientibus per horas decem exagitatus, voce omnino et ſenſibus maxima ex parte privatus, fruſtra adhibitis *Cardiacis*, *anti-ſpaſmodicis*, *Epiſpaſticis* idque genus *revellentibus Emplaſtris* poſt quintam alvi Dejectionem circa horam undecimam nocturnam (Die 12° *Maii* 1756) lugentibus attonitiſque Parentibus ſuis expiravit.

Lethalis hic eventus nimiæ purgationi, (quæ nequaquam fuit immodica) nullo modo aſcribi poteſt, quoniam poſt *tertiam* dejectionem, eaſque modicas in convulſiones incidit infelix Puer. Cuinam igitur cauſæ attribui iſte debet? materiæ quidem, ut mihi videtur, puſtularum Artus occupantium purulentæ, medicamento leniter purganti irritatæ, inque Corporis habitum ſubito introverſæ: leviſſima enim purgatio materiam *varioloſam* ſub finem morbi rebus bene procedentibus, a *peripheria*, quod aiunt, ad *centrum* mirifice introvertere ſolet; unde funeſtiſſima aliquoties orta fuiſſe ſymptomata notarunt plurimi boni nominis Auctores; utcunque, rebus minus proſpere geſtis, hoc morbi tempore alvum ilico ſolvere nos ſuadeant

ant Recentiores quidam celeberrimi : Quam prudenter judicet harum Rerum Arbitra, Experientia !

HISTORIA QUARTA.

FOEMINA quædam, triginta circiter annos nata, quæ quatuor pepererat liberos, temperamento frigido et textura Corporis non ſatis firma prædita, dolore Rheumatico dextri brachii Menſe *Junio* 1756 eo uſque cruciata fuit, ut facultatem ejus movendi penitus amiſerit. Huic malo atroci remedium certiſſimum, inter plurima quibus ſcatent Acta noſtrorum temporum diurna, *Monſtra* ſe reperiſſe ſperans Arcanum quoddam Empiricum, quod OLEI BRITANNICI nomine tanquam remedium RHEUMATISMO *Specificum* in iiſdem actis quotidie decantatur, brachio dolenti *Jatroaliptarum* iſtiuſmodi audacia freta temere adhibuit. Poſt repetitas ungendi vices mirum in modum ſublevabatur brachii dolor, atque reſtituebatur, quæ penitus periiſſe viſa eſt, ejus movendi facultas. Sed proh ! miſeras rerum humanarum viciſſitudines ! Hanc brevem ſane tranquillitatem ſecuta fuit Tempeſtas ſæva atque diuturna. Vixdum enim redintegrari viſa fuerat brachii ſanitas quum valde dolere cœpit caput ejus ; materia ſcilicet Rheumatica a brachio ad cerebri membranas tranſlata. Jam inde de dolore acutiſſimo ſinciput ſiniſtrorſum occupante, atque ab imo oſſe Frontis ad extremum os Occipitis ſeſe extendenti perpetuo querebatur. Pulſus erat debilis, neque admodum velox ; qui tamen poſt ſingulas Venæ ſectiones nequaquam deprimi videbatur ; lingua albida ſed humida ; urina modo cruda, modo craſſa ; nunquam vero flammea neque limpida ; Sanguis, quotieſcunque extrahebatur, nequaquam fuit pleuritici æmulus, ſed ſero birioſo, non tamen nimio, abundavit. Huic vehementiſſimo dolori per tres hebdomadas miſerri-

miſerrimam fœminam nunquam non excrucianti cum nihil opem ferre nedum mederi potuiſſet, *fruſtra* ſecta tam brachii quam cervicis vena, *fruſtra* temporibus plus vice ſimplici admotis hirudinibus, *fruſtra* ſecta arteria temporali, *fruſtra* tum purgantibus tum clyſteribus ſubducta alvo, *fruſtra* applicatis tam capiti quam cruribus acerrimis veſicatoriis, *fruſtra* adhibitis lenientibus fomentis, *fruſtra* denique deglutitis variorum generum (ſc. cardiacis, volatilibus et antiſpaſmodicis) medicamentis, delirare jam tandem incipiebat, et poſt triduum tranquille delirando tranſactum ineunte Septembre proxime ſequenti 1756 vitam, propter imprudentiam ſuam nihil amplius deſiderabilem, cum morte commutavit.

HISTORIA QUINTA.

MULIER innupta, ſexagenaria, plethorico habitu, acribus ſuccis pleno, prædita, quæ tamen per totum vitæ curſum nunquam antehac febricitaverat, prima Cancri ſigna, mammam ſiniſtram invaſura, ineunte anno 1755 ſenſit. Durus, inæqualis, et dolorificus tumor, Cancrorum chelarum formæ æmulus, mammæ ſuperficiem primo occupare cœpit. Poſt aliquot menſes papillarum vaſcula erodi cœpta ſunt, e quibus ſerum tenue, acre, fœtidumque lentius ſed nunquam non exſtillabat. Conſulti ego et chirurgus peritiſſimus digniſſimuſque, Dominus DAVID MIDDLETON *Chirurgus Regius* ab omnibus acribus tam internis quam externis medicamentis eam dehortabamur; nihilque niſi valde urgente dolore tentandum eſſe præcipiebamus, atque iis temporibus ut ſolummodo mitteretur ſanguis, alvuſque leniter pro re nata ſolveretur, et ut nulla ſive *cataplaſmata* ſive *unguenta* præter emollientia et demulcentia mammæ unquam adhiberenter ſuadebamus. Hujuſmodi conſilio propinqui et amici ægræ minime contenti,

R vaniſ-

vaniſque magniloquorum quorundam, cancris mederi pro-ſitentium, promiſſis lactati Chirurgum quendam, qui canti-lenam iſtiuſmodi canendo infelices omnes, quotquot cancro laborabant aut ſibi laborare videbantur, a cæteris modeſtius ſe gerentibus Chirurgis ad ſe allicere ſolebat, accerſiri jubent. Hic, nulla mei aut chirurgi prius accerſiti ratione habita ad hunc modum temere præſcripſit.

℞ *Cerat. epulot.* ℥ij.
Sacchar. Saturn. ℈iß.
M. F. Linimentum *cujus aliquantum ſuper alutam ex-tenſum mammæ quotidie applicetur poſtquam fotu ſe-quenti frigido bene fota fuit.*

℞ *Aquæ Roſar.* ℔j. *Vitriol. alb.* ℈ij. *Sacchar. Saturn.* ℈iß.
M. F. Fotus.

Eodem tempore Aquam *Pyrmont.* cum *Elixir. Vitriol.* bis die bibendam imperabat.

Poſtridie quam his Chirurgi præceptis obtemperare cœperat invaſit eam Febris ardens, materia ſcilicet cancroſa a mamma in habitum ejus hoc modo retropulſa. Accerſitus ego, Octob. die 18° 1756, pulſum ejus durum, celerem, et plenum in-veni. De inquietudine ſumma totum ſuum corpus exagitante ſomnumque omnino prohibente querebatur, dolore mammæ ſolito admodum levato. Sitis urgebat intenſa; urina erat valde rubicunda; alvuſque præter ſolitum aſtricta. Sanguinem e brachio ad ℥xij extrahendum, alvumque infuſo lenitivo ſol-vendam juſſi; quibus præmiſſis *nitroſa* et emulſiones demul-centes affatim hauriendas conſului, eamque in lecto ſe quiete continere ſuaſi. Biduo in his peragendis tranſacto poſtica mammæ dextræ pars inflammari cœpit; atque fruſtra adhi-bitis omnimodis revellentibus in *Apoſtema* deſiit; quo tandem ſuppurato et lanceola inciſo nondum ceſſavit Febris, ſed quo-tidie miſeram agitare perſtitit, modo caput modo pulmones

impetens,

impetens, *Apostematis* interea labiis fungosam, Cancro propriam, speciem præ se ferentibus, usque ad diem quartum *Novembris*, quo tempore remittente paululum Febre *Cortex Peruvianus* ea ratione ingestus fuit ut febrem omnino domasse visus fuerit; nondum vero subigebantur dolores, præcipue crura occupantes, qui adeo non mitigabantur, ut pari passu quo recesserat Febris ægrotam succumbentem aggredi viderentur; quibus post paucos dies superveniens delirium Tragœdiæ *Catastrophen* non minus exoptatam quam expectatam intra horas viginti et quatuor intulit. Hinc videre licet quam scienter GALENUS, de lotionibus differens (quibus cancro *cum exulceratione* conjuncto laborantibus uti jure concedit) hoc præceptum tradiderit? "Tunc enim, (sc. quando *exulcerantur*) si "nihil aliud *fieri potest*, saniem cancrorum abluere necesse est, "non quemcunque in hunc usum liquorem adhibendo, sed "eum solum, qui sive per experientiam sive per indicationem "neque putrescere neque *irritare* partem affectam reperia-"tur *." Neque minus sapienter subjungit. "Cancros sine "exulceratione hac curandi methodo non indigere."

* Ἀναγκαῖον, γὰρ, εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο τηνικαῦτα, τὺς ἰχῶρας ἀποπλύνειν ὑγρῷ τινὶ χρώμενον ὅπερ ὐ τὸ τυχὸν εἶναι προσήκει ἀλλ' ὅτιπερ ἂν ἤτοι διὰ πείρας ἢ δι' ἐνδείξεως εὑρεθῆ μήτε σήπειν πεφυκὸς, μήτ' ἐρεθίζειν τὸ πεπονθὸς μέρος· ταύτης μὲν τῆς θεραπείας ὐθ' οἱ χωρὶς ἑλκώσεως δέονται καρκῖνοι· GALEN. Comment. VI. in HIPPOCRAT. Aphorism. XXXVIII.

HISTORIA SEXTA.

NOBILIS Infans fœminini sexus, quatuor menses nata, quam lactaverat Nutrix sana, circa mensem tertium, quo tempore erumpebant Nutrici Catamenia, torminibus levioribus vexari cœpit; a quibus deglutiendo pulveres testaceos cum *Rhabarbaro* omnino liberabatur. Lac Nutricis Infantem mirum in modum pinguefecerat, nullo tamen morbo præter

 leviorem

leviorem modo memoratum correpta fuerat a die natali ad finem menſis quarti; quo tempore (die ſc. *Januarii* ſecundo 1757) palleſcere et febricitare cœpit. Pulſus erat velox; Reſpiratio cita; alvus ad crebras virideſque dejectiones prona abdomine flatibus diſtento. Poſt quatuor horas pulverem deglutivit teſtaceum, qui cum inteſtinorum tumultum compeſcere nequiret, alter ejuſmodi poſt quatuor horas cum Pulveris *Rhei* gr. vij. et *ſem. aniſi* gr. j. ex *Aqua anethi* exhibitus fuit, qui alvum bis movit. Interea temporis crebris ſpaſmis convelli cœperat totum ejus corpus, graviter ſubinde vagienti infante miſella, quæ poſt ſex horas efflavit animam.

Perendie Infantis cadaver, me inſpectante, diſſecuit Dr *Hawkins*; quo tempore omnia tam Thoracis quam Abdominis viſcera ſana invenimus. Cor, Pulmo, et Hepar majora erant quam quæ Infantis ætati competerent. Ventriculus et *Colon*, qua parte in Rectum deſinit, flatu diſtendebatur, cochleari uno atque altero ſeri bilioſi viridantis e Ventriculo diſſecto effluentibus. Cætera Inteſtina præter ſolitum flaccidiora et mirandum in modum fæcibus vacua jacebant.

Subitaneæ Infantis mortis nulla in hiſce partibus cauſa reperta cranium aperuimus; quo recluſo in conſpectum venit cerebrum inſolitæ magnitudinis; inter cujus exteriores membranas ſc. *duram* atque *piam* matrem in utraque *Hemiſphæra* fluctuabant ſeri fuſci cochlearia circiter duo extra vaſa ſua debiliora nimia ſua ſive mole ſive vi propulſa; quod ſerum extra vaſa ſibi propria effuſum ingeniumque omnino *acre* indutum mortem Infanti intuliſſe videbatur. Cum enim tanta non abundaret copia quanta mole ſua functiones Animales inſtar *Hydrocephali* opprimere potuiſſe videretur, veri quidem ſimile eſt id acrimonia ſua nerveas Cerebri fibrillas convellendo per totum ſyſtema nervoſum tot ſpaſmos excitaſſe, quot-

aut

aut ſpirituum animalium a *Cerebello* ad *Cor* derivandorum, aut ſanguinis in partibus vitalibus curſui impediendo omnino ſufficerent. Hoc ſaltem conſtat, nempe flatu Inteſtina diſtendente non ilico ſtatuendum eſſe morbum ex flatu ſolo oriri, neque morbi primarii ſedem in Inteſtinis eſſe poſitam: ſpaſmos enim in parte longe ab iis diſſita excitatos per Inteſtina propagari poſſe eodem tempore quo inteſtina ipſa cætera ſunt ſana hujus morbi nos docet Hiſtoria.

F I N I S.

ERRATA.

PRÆFAT. p. 2. l. 3. pro *caſum* lege *caſuum*. NOT. p. 57. l. 5. pro *competiſſe* lege *comperiſſe*. EPIST. p. 3. l. 14. pro *prolongandæ* lege *prorogandæ*. p. 5. pro ? pone ; p. 24. l. 7. pro *eorum* lege *earum*. HISTOR. MEDIC. p. 1. l. ult. pro *Medio* lege *Medico*. p. 8. l. 12. pro *Jatroaliptarum* lege *Jatraliptarum*.